

Expositio libri Job

LUIS DEL ALCÁZAR, S.J.

Per P. L. de Alcázar Societatis Iesu

decembris mense 1588

1. Genebrardus¹ in *Chronologia* ait neminem dubitasse de huius historiae auctoritate aut veritate. Sed oppositum constat ex allatis ab Olympiodoro² in *Catena*, Xisto libro 1 super Job, Belarmino³, libro 1, c.5, haeresi 5.

Notandum tamen est non esse quaestionem eandem de veritate historiae et de libri divina auctoritate, aliqui enim forsam recipientes librum ut canonicum parabolam censuere, contra quos Belarminus supra optime, Titelmanus⁴, Stumica, Eugubus.

2. Omnes interpretes conveniunt cum geographis, husitas, temanos, sucheos, naamatitas, buzitas, quorum meminit hic liber fuisse populos vicinos

¹ Cfr. GILBERTUS GENEBRARDUS. *Notae Chronicae*, Paris 1584, f.17.

² OLYMPIODORI ALEXANDRINI, *In Beatum Job proemium*, PG 93,14.

³ BELLARMINO, *Controversiarum l.1, c.5, haer.5*. VivPs, Opera omnia, 1870, t.1, p.76.

⁴ TITELMANUS, FRANCISCUS, O.M., *Paraphrastica elucidatio in librum b.Job, Solutiones quorundam dubiorum*. Parisiis 1547.

in Idumea vel Arabia vel prope. Et sat constat has regiones ab incolis nominari. Certum est etiam Job et eius amicos fuisse reges sindinatas, ut habetur Tobia, 2,15, unde textus graecus appellat Eliphaz Themanitem regem, et Baldad sanchiorum tyrannum.

Adhuc tamen sub iudice lis est unde genus ducat Job. Eugubus c.1, initio, ait hebraeos inde arguere fuisse Job de stirpe Abrahae quia fuit de genere Hus, et Hus (a quo husitae) fuit Esau filius. Sed toto coelo aberrat, tres enim tantum invenimus in Sacra Scriptura quibus nomen Hus tribuatur: -1°, filium Sem, Paralip 1,17. -2°, filium Nachor fratris Abrahae Gn 22,21; -3°, filium Samma filii Seir, Gn 36,28, et nullus istorum est de stirpe Abrahae. Unde inde potius probat Hieronymus⁵ in traditionibus in Gn. tomo 3, Job non esse de stirpe Abrahae quia fuit husita sicut scriptum est in exordio voluminis eius atque ita facit illum de stirpe Nachor, et sequuntur Philpus et Beda; verum haec opinio est satis incerta, non enim nititur alio fundamento nisi in illis verbis *vir erat in terra Hus* et forte in media regione husitarum habitabat alius populus cum suo rege alterius stirpis sicut idumaei dicuntur habitasse in regione Seir, Gn 36, et dato Job esse husitam vere, non sequitur esse de stirpe Nachor; sunt enim etiam alii husitae ut vidimus. Quod si forte Hieronymus nititur traditione hebraeorum, Respondeo huiusmodi traditiones tantum valere quantum probant. Sed licet haec opinio sit incerta, minus verisimilis est illa quam sequuntur Origenes, Chrysostomus, Ambrosius, Gregorius⁶, Augustinus Titelmanus⁷, Stumica, scilicet Job idumaeum fuisse et illum eundem qui appellatur Jobab Gn 36. Verum praeter magnam nominis in hebraeo differentiam, cui utcumque Respondet Titelmanus, duo habet incommoda haec opinio: -1° illum Jobab non fuisse husitam sed filium Sarae qui fuit Rahuel filii Esau, Gn 36. -2°, Jobab fuisse regem universae gentis idumaeorum et ita videtur regnasse in *denauo*, quomodo cohaeret ut de rege idumaeorum dicatur fuit vir in terra Hus. Quod si contra, obicias textum graecum quendam quem sequuti sunt Origenes etc putantes esse partem libri canonicam. Respondeo hoc ipso excusari, praeterea quia putabant esse de fide, cum tamen constet iam eam clausulam esse apocripham cum ab Ecclesia non recipiatur, sublato fundamento corrumpitur opinio. [f.1v] Ergo traditio Hieronymi non est adeo certa sed forte vera, grecorum vero traditio non videtur vera.

3. Eliphaz Temanites fuisse idumaeum sat videtur colligi Gn 36. Theman enim a quo temanites fuit filius alterius Eliphaz primogenitus Esau et verisimile est alicui de stirpe Theman inditum esse avi nomen et quidem Eugubus

⁵ HIERONYMUS, *Quaest. in Gn*, c.22, v.20-22. PL 23,1021; c.36, v.55. PL 23,1045.

⁶ GREGORIUS PAPA I, *Moralium Praefatio*. ML 75,515.

⁷ TITELMANUS, *Solut. Dubiorum in librum Job*. Parisiis 1547.

ait similiter probari ab hebraeis Baldad et Sophat esse ex progenie Abrahae ut etiam docet Origenes, non tamen video unde id colligat. Hieronymus supra recipit hebraeorum traditionem quae facit Eliud buzitem eundem esse cum Balaam propheta de quo Num 22. Sed contra est quod Balaam omnino videtur fuisse madianita, Num 22 et 31, miror non magis placuisse iis qui Job faciunt de Stirpe Nachor, ut Eliud buzites sit etiam de eadem stirpe, quia ex Gn, Hus et Buz sunt fratres, filii Nachor.

4. Genebrardus in Cronologia ait uxorem Jobi fuisse Dinam filiam Jacob et citat testes Philonem Sudan et caldeum *Parapho*. Sed non sunt oculati. Graeci, iuxta id quod habetur in graeco eius uxorem fuisse arabem. Sed diximus eam clausulam esse apocripham, itaque nihil certi.

5. Patet ex dictis non constare quo tempore contigeret Historia Jobi. Graegorius⁸ ratus eundem esse Job et Jobab existimat vixisse tempore Iudicium. Gn 36[33] dicitur Jobab regnasse in Edom antequam essent reges in Israel. Sententiam bene impugnat Olympiodorus ad Eugubum. Titelmani⁹ ratio vero ad nos nihil attinet. Genebrardus refert ex... Job esse natum quo tempore Israel ingressus est Aegyptum et obiisse paulo ante Exodum, sed non probat sed Erol... ex genere quidem Eliphaz themanites constat fuisse posteriorem tempore Themani nepotis Esau et ex longitudine vitae colligunt bene Chrysostomus¹⁰ in Catena et Olympiodorus¹¹ in Eugubium Job fuisse ante legem, caetera non probantur.

6. De libri scriptore nihil certi habetur. In texto graeco in quibusdam codicibus habetur librum hunc ex syriaco fuisse traslatum. Origenes¹² explicat colloquium inter Job et amicos ab aliquo illorum fuisse fortasse scriptum. Postea vero huius consilio fuisse traslatum in hebraeam a Moyse ad solatum hebraeorum, additis iis quae ad complementum Historiae deerant. Et sunt qui velint designare tempus quo haec meditabatur Moyses. Ego non audeo divinari. Gregorius¹³ omnino vult librum scriptum ab ipso Job et Respondet obiectioni quae fieri solet Nazianzenus or. 9. Et Nizetas ibi Salomonem faciunt auctorem, et conjectat... eandem fuisse Athanasii etc, opinionem verum bilium memoriae lapsum fuisse credit. Qui Moysi opus adscribunt ex orationum caractere conjectant, ut ait Olympiodorus, sed invenio hic scrupulum quia stylus pentatheuci est omniino hebraicus, in nostro vero Job, ut fatentur qui noverint, multa sunt verba syriaca et frases obscuriores multo. Et ita crederim id esse quod in texto graeco habetur nempe liber hic ex syriaco esse

⁸ GREGORIUS PAPA I, *Moralium praefatio*. ML 75,517.

⁹ TITELMANUS, *Dubiorum in librum Job*. Parisiis 1547, f.7.

¹⁰ J. CHRYSOSTOMUS, *Expositio in Job*. Specimen. PG 64,503.

¹¹ OLYMPIODORUS, *In sanctum Job Prooemium*, PG 93,15.

¹² *Anonymus in Job commentarius*. PG 17,373.

¹³ GREGORIUS PAPA I, *Moralium, Praefatio*. ML 75,517.

translatum. Scilicet, non in hebraicum sed in graecum. Hebraicum ipsum est paene siriacum et eadem ratio praeter alias probat non esse opus Salomonis, quare verisimilius est esse Jobi aut alicuius ex quatuor amicis quibus etiam Deus dicitur loquutus.

[f.2] 7. De stylo poetico et carminibus huius libri bene multi ex Hieronymo¹⁴.

8. De laudibus Jobi et utilitate libri latissime multi, praecipue Chrysostomus¹⁵. De praecipua intentione Spiritus Sancti in hoc libro, vere interim Titelmanus¹⁶.

9. Quantum praestet in hoc libro lectio vulgata latina graecae, late Eugubus ex Hieronymo respondens Olympiodoro¹⁷, et adhuc de libri obscuritate Stunica.

Caput 1 Lectio 1^a

1. Circa convivia filiorum Job Eugubus refert sententiam rabi Abrahan qui putat tametsi pater bonus esset, tales non fuisse filios delicias ubique prosequentes, et ipse historicus ait non videri divinae providentiae consentaneum ut propter patris probationem filii interficerentur nisi essent aliquo peccato implicati. Stunica vero sequutus quosdam hebraeos ut filios Jobi excuset conviviorum ordinem semel tantum singulis annis peractum esse credit. Affert etiam non nihil difficultatis in his epulis quod unicuique filio sua tribui videatur domus unde omnes videntur uxorati fuisse et tamen nulla fit mentio nepotum parvulorum quos non videtur verisimile adfuisse convivio.

Dico 1^o: repentinam eorum mortem non eos arguere peccatores quia potest esse singularissimum beneficium homines in statu gratiae repente tollere *ne malitia* etc et valde consonum est textui, ut bene Titelmanus ostendit, filios Jobi proxime post expiationem et sacrificium sublatis fuisse e medio.

Dico 2^o: contextum omnino postulare id quod caeteri omnes interpretantur, intelligunt nempe singulis anni hebdomadis expleri solituros a filiis Job orbem dictam et antequam de novo inciperent de mane offerri solita holocausta et re divina rite peracta statim vesperi revocata convivia, antiqui enim non prandebant ante vesperam.

Dico 3^o, haec convivia non esse interpretanda iuxta communem morem *quorum deus venter est* et qui non tam amicitiae causa quam voluptatis studio conveniunt, cur enim non potius de philosophicis conviviis interpretemus in quibus caritatis gratia una cum urbanitatis sale et lepore conferendi

¹⁴ HIERONYMUS, *Praefatio in librum Job*. PL 28,1140.

¹⁵ J. CHRYSOSTOMUS, *In beatum Job Prooemium*. PG 64,506.

¹⁶ TITELMANUS, *Dubiorum in I. Job*. Parisiis 1547, f.9.

¹⁷ OLYMPIODORUS ALEXANDRINUS, *In beatum Job, Prooemium*. PG 93,15.

studio ea quae se singulis offerunt conveniunt ad manducandum sapientes ut placide postea in gratiarum actione philosophentur. Certe de filiis regis vix non est credibile convivari ut ventri serviant quid enim decet singulis si se explere curarent.

4°. In eiusmodi epulis stupendam elucere fratrum concordiam quam patris institutionem maxime commendat, ut bene hic multi.

5°. Certum videri Jobo nullum nec filium aut nepotem superstitem relictum fuisse quod facile intelligitur si dicamus forsam patres solitos esse semper seni deducere filios cum uxoribus aut filios Job nondum fuisse uxoratos vel dici habere domos distinctas eo quod separata haberent domicilia in eadem domo patris. Si enim nihil remansit Jobo ergo et regia et filiorum domos cum omni suppellectile periisse dum ipse cum uxore forte abesset amicum aliquem invisens. Alioqui quomodo postea in sterquilinio moerens et squalidus iaceret.

2. *Ne forte peccaverint etc et benedixerint Deum etc.* Bene Titelman probat nomen benedictionis accipiendum in malum ut omnes interpretes accipiunt etc. Hebraeismus similis [f.2v] phrasi latinae aderi sacra famosissima apud aliquos ex nostris solet accipi in utramque partem es un bendito. Volunt ergo plerique benedictionis nomen idem quod maledictio aut blasphemia sonet. Sed contra est quod nullum apparet verisimile periculum interius blasphemandi in conviviis bene institutae juventutis, maxime in iis quae tanta in laude fiebant; quare suspicor vehementer benedictionis nomen non pro blasphemia accipiendum sed in communi pro quacumque culpa. Nec mirum, quia benedictio cum in bonam partem sumitur saepe quamcumque beneficentiam significat, unde in Sacra Scriptura idem saepe est benedicere et benefacere. Ergo similiter benedicere in malam partem erit idem ac offendere, hacere de servicio. Et quia *in multis offendimus omnes* merito timebat Job filios per illam hebdomadam forte occulta aliqua peccata admisisse interius, de exterioribus enim non adeo timebat qui eorum mores optime norat. Et hinc etiam confirmo eum nihil fuisse de blasphemia suspicatum, imo quamvis sacrificia ad expiationem pertinerent, ut textus significat diserte, non tamen crediderim eam esse unicam causam, quamvis ea maxime explicanda videbatur a patre ut convocaret filios ad rem sacram magna cum humilitate peragenda. Per se tamen erat rationi consonum.

Pro quoque die ad Dei cultum externa aliqua professione conveniri et venturi Mesiae sacrificium holocaustis suis professare non nego quin aliqui sicut benedicere in bonum est laudare, ita in malum sit blasphemare, suspicor tamen aliquando esse idem quod abalienari ab aliquo quebrar con él y dejarle sicut dicitur hispane ya le eché la bendición, et sic videtur uxor dixisse Jobi: *benedic Deo et morere*, id est. Anda que vaya con Dios.

3. Magnam affert quibusdam difficultatem consilium illud in quo dicuntur astitisse filii Dei et Satan coram Deo et colloquium inter Deum et Satanam.

Quare, -1° tractabitur an vere posit intelligi ita simpliciter contigisse sicut narratur, nempe collatum fuisse sermonem. -2°, an saltem per visionem propheticam bene expediatur difficultas dicendo Deum huiusmodi visionem alicui prophetae ostendisse qualis est illa quae habetur 3 Reg 22,19, et alia Zachariae 3,1, vel narratur in Apocalypsi.

-3°. Dato non ita contigisse sicut videtur narrari nec in re nec in visione, an posset figurata loquutione vere explicari textus.

Circa 1^{um} non videtur, 1° quia ita omnes interpretes supponunt et latius Eugubus, Stumica, Titelmanus¹⁸. Olympiodorus¹⁹ in Catena ait Sacram Scripturam hic figurata loquutione uti. Athanasius²⁰: assistere est divinae voluntatis typis informari. Chrysostomu²¹ quaevis munerum functio assistendi ratio nuncupatur et quae Sacra Scriptura narrat diabolus Deo dixisse, non dixit sed cogitavit neque enim in eo tantum audaciae est. Author Catenae: quia angelus et diabolus de homine inter se pugnant, ideo dicuntur formula sistere, Deo interim cuncta gesta contuente et addit Deum dici presentem angelis archanis vocibus praecipiendo, diabolo vero tentandi facultatem tribuendo. Polichronius ait scriptores ad dialogorum consuetudinem oraculum traducere; ergo omnes supponunt non ita contigisse sicut narrari videtur et indignum esse theologo suspicari Deum cum daemone miscere colloquia.

Dico 1° negari non posse quin scriptor libri ad nostram consuetudinem sermonem accommodaverit dum daemonem inducit modo cum Deo colloquentem, modo a Dei conspectu discedentem. Si vero per conspectum Dei intelligamus colloquium daemonis cum Deo [f.3] ita ut discedere a conspectu sit cesare a colloquio et venire in conspectum sit colloqui cum Deo, tunc

Dico 2° forte nulli esse inconueniens si dicam rem simpliciter contigisse sicut sonat, nempe angelos assistere coram Domino vel insignem Jobi sanctitatem praesentando coram ipso vel eum adorando et advocatum daemonem interrogatum fuisse unde veniret, id est quid egisset et respondisse *circuivi terram* etc et deinde interrogatum quid ei videretur de Jobo, et tandem dictum ei fuisse concessam esse facultatem privandi Jobum omnibus externis bonis et ab hoc colloquio abiisse daemonem ad patrandum opere quod optaverat. Non vero esse inconueniens ita intelligere fortasse non valde obstrepet qui prius bene informaverit quomodo spiritus colloquantur, et cum certum sit in fide Michaellem cum diabolo disputasse ex epistula Judae, quid

¹⁸ TITELMANUS, *Dubiorum in l. Job.* Parisiis 1547, f.1.

¹⁹ OLYMPIODORUS, *In beatum Job, c.1, v.7.* PG 93,23.

²⁰ ATHANASIUS, *Fragmenta in Job.* PG 27,1346.

²¹ J. CHRYSOSTOMUS, *Fragmenta in beatum Job, c.1, v.7.* PG 64,525.

est quod a daemonis colloquio simpliciter intelligendo nos deterreat an quod daemon nequeat Dei conspectu frui? atqui norunt theologi non opus esse angelum frui conspectu colloquentis sibi superioris angeli. Adde quod sicut se potest nobis Deus invisibilis aliqua ratione visibilem praebere ut olim patribus apparebat absque eo quod divinitatis conspectu fruere, ita forsam aliqua alia ratione posse fieri ut Deus se exhibeat praesentem daemone.

Quod si cum Chrysostomo²² dicas non esse tantum audaciae in daemone ut cum Deo colloquatur atque adeo non dixisse sed cogitasse, Respondeo quidvis audere daemone et cogitatione profici loquutionem et non esse audaciae respondere interrogatum, nec est novum Deum interrogasse peccatores.

Si vero dicas non decere Deum loqui cum daemone, novimus Deum Gn 3 cum peccatoribus et daemone ipso loquutum. Quod si in eo loco et alibi sunt qui interpretentur angelum Dei nomine loqui, Olympiodorus²³ etiam hic ait existimari posse angelum quempiam divino mandato exhaurientem cum daemone loquutum. Et affert Zacharias 3[2] *dixit Dominus ad satan, increpet Dominus in te* et ait esse verba angeli ad daemone. Vide etiam illud Judae 9 *imperet tibi Dominus*, unde colligitur angelum postulare ut Deum loquatur daemone.

Sed adhuc obiicies Deum nihil frustra facere, et ad tentationem Jobi sat fuisse si daemone sineretur agere quia ipse per se est paratus ad male merendum de iustis quantum ei permittitur. Respondeo hinc ostendi opus fuisse ut daemone Deus de sua permissione certum faceret vel per se vel per angelum quia cum daemone sciret omnia quae ad Job pertinerent vallata esse custodiae divinae muro, non est credibile illum ausurum fuisse in omnia illius externa bona tam crudeliter invadere nisi nosset id sibi permitti, quia alioqui crederet rem non posse succedere et valde verisimile est hoc loco nos doceri interdici solere daemone ne comminus accedere ad ea quae amicorum Dei sunt et non solum nihil efficere sed neque tentare an possit efficere nisi prius illi innotescat divinae permissionis ordo, hoc enim est esse ligatum. Vide Apoc 20, et perpende multa quae in Sacrae Scripturae historiis narrantur, et vide an hoc magis spectet ad sanctorum gloriam et providentiam Dei, nam si melius Deo dignius.

4. Circa 2, an per visionem prophetica bene expediatur difficultas, nota eam explicationem maxime probare Eugubum quem dupliciter Stunica impugnat, 1°, quia afflictio Jobi non fuit visio prophetica ergo nec sermo Dei unde narratur orta fuisse afflictio; 2°, quia non cohaeret ut [f.3v] tunc visus fuerit Deus cum daemone loquens cum liber scriberetur et in ipsius gesta fuerint in libro narrata.

²² J. CHRYSOSTOMUS, *Fragmenta in beatum Job, c.1, v.7*. PG 64,525.

²³ OLYMPIODORUS, *In beatum Job, c.1,7*. PG 93,23.

Sed ad hoc facile respondetur: ad 1^{um} est instantia manifesta 3 Regum, 22[23]. Achab vere deceptus est et tamen Micheas vidit in visione simile consilium. Adde si argumentum Stumicae esset efficax probaret plus quam intendit, nempe gestum esse consilium sicut narratur, afflictum enim Job contigit ut sonat. Ad 2^{um}, non ait Eugubus tunc ostensam visionem quando liber conficeretur sed ita narrasse scriptorem libri quia noverat harum calamitatum huiusmodi fuisse primum visum ab aliquo sancto viro in animo in visione, itaque visionem videtur ponere ante Jobi afflictionem, adde nihil obstare quominus visum oculare repraesentetur prophetae in figura aliqua post eius eventum.

Adhuc tamen non placet haec visio: non enim ait scriptor visum esse Deum colloquentem sed ait Deum colloquutum, et videtur ad sinceritatem divinae Sacrae Scripturae pertinere ut quae tantum in visione contingunt quasi visa tantum narrentur Is 6,3; Reg 22; Zach 3, etc.

5. Circa 3, an posit loquutione figurata textus explicari vere licet nec re nec visione ita contigerit sicut sonat. Sane plerique interpretes videntur eam explicationem magis probare et ne cui durum forte videatur in Sacra Scriptura reperiri fictiones poeticas, meminerit quaeso etiam apud prophanos auctores dicentes... non esse mentem auctoris ut velit rem intelligi ita contigisse sicut sonat non enim adeo erat amens Virgilius aut Seneca inducens... Sed sicut in artificiosa tragedia etc sub cortice unius fictionis solet jocunda includi veritas, ita etiam in poemate. Hanc ergo gratissimam significandi rationem non debuit Sacra Scriptura pretermittere et locus aptissimus erat in aliqua parte huius libri qui valde poeticus est. Licet enim haec duo prima capita dicuntur in haebreo soluta oratione percurrere. Sed videas etiam ut aiunt dispecti membra poetae et tota historia poetice narratur. In hoc tamen sacrum poema antecedit prophana quod in illis multa sunt pro complemento narrationis fictae omnino inania, at in Sacra Scriptura nullus est apex non habens emphasisim ut in praesenti multi optime expediunt.

6. Non igitur recuso quin hoc colloquium poeticum parabolicam explicationem contineat dummodo unum ex his quae emphatice significantur sit daemoni prius innotuisse divinam permissionem quam auderet tantam stragem meditari, et ita videtur explicandus auctor catenae graecae dum ait Deum dici praesentem angelis vocibus arcanis praecipiendo, diabolo vere tentandi facultatem tribuendo, id est suam permissionem illi significando, sicut angelis sua praecepta significat. De caetero interrogationes illas et responsiones probabile est de suo addidisse poetam sacrum sed non absque nucleo, et ita verum erit daemonem non fuisse cum Deo loquutum, ut ait Chrysostomus²⁴, sed scriptorem figurato et ad dialogorum morem traducta

²⁴ J. CHRYSOSTOMUS, *Fragmenta in beatum Job, c.1, v.7*. PG 64,525.

oratione, ut ait Olympiodorus²⁵ et Polichronius. Et simplicius est ita contigisse sicut modo exposuimus, licet prima non sit omnino improbabilis.

Sed in quavis illarum cavendum est ab eo quod refert Eugubus, et in quo sibi videtur arridere sibi. Per satan intellegi posse fictam quandam personam id est divinam probationem seu nemesim sive iustitiam omnia lustrantem et non patientem quemvis intumescere nec inter voluptates Dei oblivisci. Certe prosopopeia haec hebraeorum est deliramentum contra omnium christianorum theologorum communem sensum et contra orationis proprietatem [f.4] et similia sunt alia hebraeorum commenta quorum quidam per satan intelligit quendam hominem Jobo inimicum, alius angelum bonum Jobo adversantem in majus bonum ipsius, nec refert quod alioqui non abhorreat a phrasi Sacrae Scripturae ut satanae nomina tribuatur homini inimico. Sed non erat is locus. Porro ridiculum est quod ait Eugubus, scilicet clades illatas videri apertum praebere testimonium hunc non fuisse daemonem neque enim daemon latronum turbas incitasset nec in ignem coelestem potestatem habuisset etc. Videtur daemonis vires ex suis extimasse. Recte vero sentientes nihil inveniunt hic supra vires daemonis nec requirunt ut de novo sint vires daemoni collatae desuper. Sed ut acceperit licentiam exequendi suas.

7. Dubitatur forsam cur per daemones exerceatur Job occidanturque eius filii cum per coelestes angelos delatae sint Sodoma et Gomorra et sane quaestio late patet, et quaeritur cur iustitiae ministros faciat Deus nunc angelos nunc daemones. Forte dices non decere ut boni contra bonos pugnent et ita sapienter a Deo disponi ut angeli peccatores puniant, daemon vero iustos. Sed contra est quod Deus ipse beneficii loco flagellat quem diligit. Ergo non dedecet ut angeli id exequantur. Adde quod constat alioqui interfectos peccatores a diabolo, et hominem gratum Deo ab angelo.

Dices forte ea quae Deus non tam procurat quam permittit, per daemones excerci, quae vero directe procurat Deus ad angelorum ministeria spectare. Sed contra est quod nihil prohibet Deum directe procurare ea quae daemon molitur et ita efficere quod eius prava voluntas, divino serviat instituto. Confirmatur quia potuit Deus procurare per angelos mortem filiorum Jobi etc et ita quaestio manet cur non procuraverit per angelos cum effectus sit valde conveniens, sed permissive se habuerit utens malitia daemonis ad effectum eundem.

Dico ergo non decere ut Deus omnia suaviter disponens dum utitur ministerio alicuius liberae voluntatis cogat eam, unde non est postulandum ut Deus nolentem volentem cogat daemonem, sed ut eius prava utatur voluntate et sane daemonis malitia potius vellet manere se... comburi, unde non est ad rem in quovis sumendo supplicio. Verum in iis omnibus quae daemon

²⁵ OLYMPIODORUS, *In beatum Job, c.1, v.7*. PG 93,23.

libenter exsequetur putans se ea ratione contra Dei gloriam militare, in iis quidem melius est et honorificentius Deo daemonis uti malitia ad suam gloriam provehendam, ut patet in Jobi tentatione. Caetera vero quae aperte Dei gloriam continent et ita directe militant contra daemonis imperium ea Deus sive sint actus justitiae sive non, id aequum est ut per eos exercent qui se famulos Dei profitentur et gloriantur in eo.

8. Circa calamitates Jobi dubitatur quomodo eodem tempore omnis calamitas evenerit et soli nuntii superstites remanserint, maxime igne coelesti et ruina domus. Eugubus hic audacter loquitur, ait enim hoc esse parabolice dictum, ut cum rex misit operarios vineae servos suos quos illi intefecerunt, et subdit parabolam esse exemplum fictum repraesentans aliud verum nam neque ad cogitandum aptum est eo modo quo habetur in textu graeco modestius dixere daemones se vertere in latrones potuisse unumque ex his misisse ut nuntium, et addit Chrysostomus²⁶ ut refert Eugubus forte non fuisse verum ignem aut ventum sed a daemone simulatos.

Dico 1°. Me nescire quorsum hic spectet parabola, quia cum constet vere Job orbatum filiis, facultatibus, etc, posset forte quis suspicari huius exaggerationem hiperbolicam in eis verbis [f.4v] *et adhuc colloquente, et ego remansi solus*. Sed locum parabolae una cum veritate historiae nec ad cogitandum invenio.

Dico 2°, non esse admittendam hyperbolem hic, non enim decet Sacra Scriptura exaggerare patientiam quam imitandam proponunt maxime cum omnes Doctores accepturi essent ut hactenus acceperere sine hyperbole, et ita fefellisset eos Sacra Scriptura.

3°. Me non tan admirari calamitatum simul imgruentium ordinem et concursum nuntiorum quam eorum tarditatem quibus difficile apparet contigisse ut narratur. Cum enim sit certum hanc historiam non contigisse casu sed Deo concedente licentiam et diabolo vires et artes exercente, mirarer si quid minus contigisset nam neque suspicari possumus daemonibus deesse artem et potentiam ut simul contingant illa et unus evadat famulus semper et concurrant ad deferendum nuntium omnes. Si ergo Steucus concedit daemonem nosse et posse omnia sic disponere tantum restat dubitasse de eius voluntate.

4° dico nihil opus esse ad fictos nuntios aut ignem, etc confugere, ut patet ex dictis.

9. Incisione vestium et tonsione capitis aliter graeci dicunt quam nostri; simplicius est quod nostri dicunt licet verisimile sit Jobum alterius etiam philosophiae meminisse.

10. Circa id *sit nomen Domini benedictum*, perpende pro tanto dolore gratias agere et ita certum est se accepisse beneficium et eodem spectat illa ratio

²⁶ J. CHRYSOSTOMUS, *Fragmenta in beatum Job*, c.1,v.16. PG 64,530.

si bona suscepimus de manu Dei quare mala non suscipiamus, ac si diceret certum est eum qui in nos tot beneficia congegisset benefaciendi etiam voluntate flagellare. Paucorum est in mediis doloribus serio divinae providentiae suavitatem nosse. Sed aliud perfectius in Jobo elucet, scilicet magis curare de Dei beneplacito quam an sibi bene vertat, ait enim *Dominus dedit*. etc.

Caput 2

1. *Commovisti me ut affligerem eum*. Hebreo *ut absorverem seu reglutirem*.

2. *Ut affligerem eum frustra*. Nihil refert sive dicas *commovisti me frustra*, sive *ut affligerem frustra*, utrovis enim modo sermo est respectu intentionis daemonis qui non potuit Jobum loco divellere, et ita afflicto est Job. Et perpende an fortase Deus inducatur loquens per irrisionem quasi eandem haberet intentionem cum daemone, quamvis simplicius aliis videatur ut *frustra* ponatur improprie in eo sensu quo Sacra Scriptura ponitur *gratis pro absque merito*. Sic Gregorius²⁷. Facit lectio... ut obruerem eum gratis. Olympiodorus²⁸ utramque vim tangit et legit tu vero dixisti rem eius sine causa perdere. Sed primus sensus est Origenis²⁹ et Chrysostomi³⁰.

3. *Pellem pro pelle* etc. pro anima sua. Eodem modo explicant hebraei, graeci et latini. Vere Eugubus, Titelmanus³¹ et Catena. Addit Philipum eam videri proverbialem loquutionem et constructio eorum est pelle alterius pro pelle sua, id est vitam pro vita quasi diceret a trueque de quedar con el pellejo no es mucho sufra con paciencia que quede sin los ganados, hijos, etc. Forte tamen latet hic hebraismus similis hispanismo quo utilitatis gratia emphatice dicimus una por una, alhaja por alhaja, sin que le quede ninguna, et in hoc sensu bene videtur opponi pelli animam cum omnia [f.5] salutem et vitam designet, pellis vero externa quantumvis chara. *Animam eius serva*. Philosophi graeci simplicius explicant. Vere Titelmanus et Catena.

4. De *ulcere pessimo* late et bene multi.

5. De *sterquilinio* vero non una omnium sententia, quidam enim volunt sterquilinum pro cinere ponatur et sedere in cinere sit habitus lugentis et sua humilitate Dei opem implorantis, et eodem referunt quod testa samem radat, alii ad morbi gravitatem pertinere putant quod extra urbem ut Septuaginta addunt ne urbem inficeret, in agro, atque ideo in sordibus et squalore jaceret, et forte in sterquilinio ut locum apricum eligeret. Alii vero in his circumstan-

²⁷ GREGORIUS MAGNUS, *Morolium*, lib.3, c.3. PL 75,600; c.14. 612.

²⁸ OLYMPIODORUS, *In beatum Job*, c.2,v.3. PG 93,38.

²⁹ ANONYMUS *in Job*, lib.2. PG 17,458.

³⁰ J. CHRYSOSTOMUS, *Fragmenta in beatum Job*, c.2, v.3. PG 64,547.

³¹ TITELMANUS, *Elucidatio in l. Job* c.2. Parisiis 1547, f.11v.

tiis summam egestatem significari credunt, ad quam sanctus Job pervenit sicut videmus pauperes miseros aegrotos ad stabula divitiorum confugere. Et facit quod additur in graecis quibusdam de uxoris mendicitate scilicet ego vaga et ancilla locum ex loco circum errans domunque ex domo sub dio etc. Sed nihil horum placet: primum non est verisimile Job ad tantam inopiam devenisse ut non haberet melius domicilium. Etsi enim omnes subditi cum suis opibus periissent et integra eius civitas ei subdita conflagrasset, quod non est asserendum gratis. Sed eo dato, aut amici et vicini eum de lecto et linteis et domo accommodassent aut eum ad sua detulissent; quomodo enim cohaeret ut non desint reges qui invisant eum et nullus sit qui in tanta miseria ei de necessariis provideat et quis morbus potuit adeo terribilis esse ut derelinquatur rex sub dio in agro cum tres vel quatuor alii reges ut minimum septem dies cum ipso permaneant et disputando persistent. Certe graecum aditamentum in quibusdam codicibus nonnullis imposuit, nobis tamen non est de apocrypha lectione curandum.

Iam vero quod in tan gravi morbo poenitentiae gratia Job lectum respuerit et eligerit in cinere iacere et non molli viso blande abstergere sed testa aspere radere, hoc inhumanum apparet et desperationis potius quam poenitentiae humilis signum. Adde durum esse sterquilinum pro cinere poni et in varietate graecorum non debemus eligere eam quae a nostra discedit cum enim graeca quaedam habeant in cinere, alia in sterquilinio, ex latina constat spuriam esse ex alicuius commentario eam quae cinere aspersit lectum Jobi. Cum ergo regia dignitas et regum amicitia ostendat non defuisse Jobo in calamitate summa lecti gratiae et domus commoditatem et cum dolorum acerbitas et aegritudinis vehementia non patiat penitus voluntariam asperitatem certe eum dicitur sedere in sterquilinio et testa saniem radere, explicatione molliendum, etc, et ni fallor praecedentia verba commodam explicationem sugerunt in quibus describitur ulcus pessimum a planta pedis etc; sicut enim si vermibus scateret etiam inter purpuram diceretur jacere in sepulcro sic foetidissima sanie undique redundante et lectum maculantem merito dicitur in sterquilinio sedere, et sedebat forte super lectum ut se aliqua ratione assumeret vir patiens et tam largiter saniem fluebat ut quandoque eius fuerit commoditatis et munditiae gratia non iam lintheolum adhibere sed levem luthei vasculi particulam.

6. *Benedic Deo et morere.* Video varias explicationes. Sed cum constet Jobi uxorem ex daemoniorum suggestionem loquutam omnino id illa dixit Jobo quod daemon objecerat Deo [f.5v] nempe Jobum suae propriae saluti consulere et non blasphemare ac illum Deus interficiat, ait ergo *adhuc tu permanes in simplicitate tua* todavía te estás en tus negras fuerzas de callar y sufrir, porque no te mate Dios, mira que sería menos mal morir, benedic iam Deo

et morere, quiebra ya con él o blasfema y mátete ac si diceret aunque no sea sino para que te mate. Vide c.1. Porro hinc constat cur daemon non occideret Jobi uxorem licet ei sit permissum dicente Domino *universa quae habet etc tantum in eum non extendas* etc unde constat non id fuisse daemone prohibitum, contra Titelmanum ex Origene³², nimirum dicentem virum probum magis debere dolere ex amissione uxoris licet improbae quam caeterorum omnium. Sed si ita esset daemon non parceret summo dolori; et viros optimos videmus non adeo egre ferre viduitatem, sed credere magno onere liberatos at egregia ratione putat se niti Titelmanus³³, scilicet probus vir uxorem plus quam caetera debet diligere, ergo magis dolere de eius amissione. Respondeo distinguendum esse amorem amicitiae et concupiscentiae et amorem legalem ab eo qui sponte nascitur. Stat enim propter legem potius velle bonum uxori quam filiis et nihilominus quod ad me attinet parum commoveri de morte illius propter senectutem et ingenium alienum, gravissime vero dolere de gratiosorum immatura morte filiorum.

7. *Quasi una de stultis*, poterat esse sensus que habló como quien era verum hoc est afflictam uxorem vehementius increpare. Aptius ergo est ut severe admoneat eam ne stultorum morem sequatur sed retineat solitam prudentiam.

8. *Si bona suscipimus*, vide dicta c.7 nostro.

9. *In omnibus his non peccavit Job labiis suis*. Caldeus apposuit labiis non sed cogitatione contra Deum blasphemasse, ridiculum sane hebraei dicunt hactenus non peccasse, et in hoc convenimus, an vero deinceps peccaverit...

10. *Sederunt in terra septem diebus*. Quod non in solio sed in solo sedeant, non arguit sellarum defectum sed morem gentis exprimit in luctu. Scimus hodie africanos non uti sellis sed humi recumbere aut sedere, ditiores tamen sternunt solum peristromate et forte id significatur reges Jobi amicos luctus gratia super pavimentum nudum sedere voluisse. Quomodo septem dies tacuerint, vere Titelmanus³⁴.

Caput 3

1. Dubium occurrit in liberando Jobo a calumniis hebraeorum et innocentia eius examinanda et videtur non posse omnino excusari:

-1º, iterum atque iterum maledicit diei.

-2º, quia optat non fuisse natum etc.

-3º, videtur Dei providentiam accusare dicens *cur misere data est lux et vita iis* etc.

³² *Anonymus in lib.2. PG 17,481.*

³³ TITELMANUS, *Elucidatio in l. Job, c.2. Parisiis 1547, f.22v.*

³⁴ TITELMANUS, *Elucidatio in l. Job, c.2. Parisiis 1547, f.23.*

-4°, reprehensus ab Eliphaz non habuit quid responderet sed obmutuit ut ait Julianus in Catena in id continens... fol.217 et auctor Catenae in proetoria capituli 27 ait Job tacuisse ut Eliud orationem eam probaret, et facit quod Eliud non repraehenditur a Deo. [f.6]

-5°, Deus videtur accusare Jobum imperitiae seu stultitiae, c.38,2, *quis est iste involvens etc.*

-6°, alioqui quorsum tam longa Dei disputatio de sua Providentia si Job nihil de ea disputabat.

-7°, videtur omnino grave peccatum contendere cum Deo et illum argue-re, et hoc impingitur Jobo adeo c.39, *numquid qui contendit cum Deo etc.*, utique qui arguit Deum debet respondere ei.

-8°, Job fatetur leviter esse loquutum et *unum fuisse loquutum quod uti-nam non dixissem* et *alterum quibus ultra non addit* c.39, et c. 42 ait se fuisse insipienter *loquutum* et ideo se repraehendit et *agit poenitentiam in favilla et cinere.*

Sed contra est quod Dominus ait ad Eliphaz c.42,v.7, *iratus est furor meus in te etc, quia non estis coram me loquuti etc sicut servus meus Job etc*, et Tob 2[15] meminit regum insultantium Jobo, et tamen dicitur propositum esse in exemplum patientiae. Quod si quis dicat non mirum esse ut qui exemplar patientiae proponitur aliqua leviora impatientiae signa dedise maxime in calamitatibus excedentibus omnem pene modum, saltem arguere non poterit quin esset ridiculum patientiae typum dicere qui afflictus blasphemaverit vel de Providentia Dei dubitaverit. Quare certum est eam esse meliorem explicationem quae illustret magis patientiam Jobi locis Sacrae Scripturae conciliatis et ad alia suo loco aptius respondebitur. Ad 3^a postea dicemus...

2. Ut plerique Jobum excusent adducunt in theatro omnes calamitates hominum et ideo licere non fuisse propter eas et praecipue ob paucitatem salvandorum miramur excusationes Stumicae late. Gregorius: si Jobus communem hominum sortem plorat cur uni solum diei et uni nocti maledicit an quia propter mala communia optat ipse non fuisse et non curat de aliis, si ergo de caeteris non curat cur eorum deflet fortunam. Parumne ei facessit propinae miseris ut alienas suscipiat lugendas. Facetum est pene obrutum domenticis laboribus cum flentes videas de alieno dolore interpretari primum. Rogo item an omnibus malis perpensis cadentibus in hominum vitam Jobo sapienti et amico Dei et resurrectionem ad vitam speranti satius videri posit non fuisse, nam quod Salomon feliciores existimat non natos prorsus inter eos intelligo ad quos spes futurae felicitatis non pertinet, sed quem in tot laboribus antea vitae conscientia consolatur et suam innocentiam justissime defendit et confidentissime dicit *in carne mea videbo* etc non esset insipiens si adhuc considerata multitudine eorum quos majoris miseriae manent haec post vi-

tam optaret non fuisse, quasi vero aliorum miseriae posint beatum de felicissimo statu deturbare.

Dices, forte iuxta diversas considerationes diversos affectus laudabiliter gignere et in eodem quod attenta specie esset absurdum attento presenti labore probari. Ad haec ego non nego doloris vim sine causa posse hominem abripere ad dicenda ea quae alias non diceret sed aliud est quod eliciat dolor, de quo antea, aliud quod liceat omnibus perpensis, rationes enim Stumicae videntur probare absolute non esse absurdum non optare damnatorum multitudine quasi se de eorum numero fore Jobus putaret.

[f.6v]

3. Alii dicunt deplorari peccatum originale. Cum enim melius sit non esse quam esse peccatorem ideo potuit optare merito non fuisse natum quia natus est Dei inimicus. Sed toto aberrant coelo, 1^o, quia sequeretur Jobum in detestationem originalis optare se fuisse mortuum in originali, ait enim *quare egressus de vulva etc non statim perii* numquid in vulva aut puncto nativitatis moriens liberaretur ab eo peccato?

Sed dices optabat liber fuisse si non a peccato saltem a malis quae ab ipso procedunt; ergo poenam non culpam execratur et non propter ipsam culpam quandoquidem non magis optabat liber fuisse ab illa nam *propter quod unumquodque* etc. Deinde postquam per Dei gratiam liberatus tandiu fuerat ab originalis labe magis consonum rationi esset in eius memoria gratiam agendo liberatori laetari quam adeo affligi, quia nec de originali potest quis proprie poenitere nec de illo dictum est *de propitiato peccato noli esse sine metu* et saltem Jobus certus erat nihil iam ab ea labe timendum sibi esse quod ad culpam attinet.

4. Patet ex dictis nihil nunc curare Job nec aliorum condemnationem neque peccata nec originale labem, quare si adhuc contendat quis non decere tanti animum viri in poenarum calamitatibus quae acciderant tot excitare quaerelas solum videtur relinqui ut conferas stimulis propriae et afflictionis magnitudine oppresus sibi suspicaretur Deum inimicum et poenas aeternas sibi paratas. Licet enim si esset ab omni perturbatione liber nulla ratione id suspicari posset ex adversitatibus quae illi evenerant, sed potius pro eis ut coeperat gratias ageret, verum non deerit qui credat permisisse Deum ad probandam Jobi patientiam ut post mala diserte narrata interior desolatio illum excerceret quae adeo sanctissimos viros afflixit, ut facultatum amissionem filiorumque cruciatos et morbos in eius comparatione pro nihilo ducant; si ergo Deus voluit Jobum speculum patientiae proponere non solum opus erat ut in eum omnia mala externa velut impetu facto invaderent sed multo magis ut interior ille cruciatus prope tartareum mirum in modum omnes animae vires penetraret et ad ima deprimeret. In hoc ergo velut patibulo fixan Jobi

animam eius plurima verba declarant, nam quae prius in narratis capitibus 1 et 2 se exhibuit adeo invictum et fortem, et hoc in 1^o incursu malorum quando suapte natura dolor est acerbior, ille ipse cum nihil postea exterius de novo accidat videtur tam diversus ab eo qui fuerat ut magno argumento sit occultam aliquam maiorem potentiae machinam ad eius fortitudinem deturbandam admotam esse, etsi enim Jobi patientia non corruat, vehementer tamen commovebatur et prope minabatur ruinam.

Et sane in hac *infirmirate proficiscitur virtus*, ex Paulo. Sed magnus aliquid denuo experitum Jobum adeo ut videatur hactenus daemonem suas omnes tentasse vires ut nihil omnino efecisse. Nunc vero Deum delectatum Jobi fortitudine voluisse per se ad pugnam descendere cum eo et urgere vehementius quam daemon poterat, ita tamen ut Job non caderet sed experiretur quo cum res ei esset et diceret *quare posuisti me contrarium tibi* etc sic manet Jobus invictus sed humilis et honorem maiorem adeptus quam antea, gloria vero manet penes Deum et deinde Jobi beneficia confert.

5. Perpende quid Job dicat c.6, n.4 *sagittae Domini in me sunt quarum indignatio* etc, et *terrores militans* etc si de expressis doleret malis non terrorem appellaret quia non [f.7] timemus praeterita et non diceret c. 7[14] *terrebus me per somnia et per visiones horrore concuties; [20] peccavi, quid faciam tibi cur non tollis peccatum meum*, et c.10[2] *dicam Deo noli me condemnare numquid bonum tibi videtur si calumniaris me et quaeras* etc. [14] *Si peccavi et ad horam pepercisti mihi cur ab iniquitate mea mundum esse me non pateris? instauras testes tuos contra me et multiplicas iram, dimitte me ut plangam* etc. ecce videtur interioribus stimulis agitari conscientiae, adeo ut non reliquatur locus exterioribus malis deflendis. Vide c.9, v.34 *auferat a me virgam suam, et pavor eius* etc et *tunc loquar et non timebo eum neque enim possum metuens respondere*. Et c.13[20] *duo tantum ne facias mihi et tunc a facie tua non abscondar manum tuam longe fac a me et formido* etc quasi dicat non renuo quin daemone me cruciandum permittas modo tu per tuam manum non velis me singulariter flagellare etc, his enim sublatis quantumvis me calamitatibus *opprimas non abscondar a facie tua*, et subdit *cur faciem tuam abscondis et arbitraris me*, etc, *scribis enim contra me amaritudines et consumere* etc, et c.14 [5] *quis potest facere mundum de inmundo* etc. et postea *quis mihi tribuat ut in inferno* etc, et *abscondas me donec pertranseat*, et c.17 [4] *libera me*, scilicet ab hac anxietate et *pone me iuxta te* ut non contra te sed iuxta te me esse sentiam et *cuiusvis manus pugnet contra me*.

6. Dices quomodo cohaeret ut adeo cruciet interius conscientia et condemnationis formido, eum qui in hac ipsa disputatione simplici animo et ex corde loquens totius suae innocentiae Deum testem citat et verissime audet

dicere c.6 [2] *utinam appenderentur* etc, c.16 [18] *haec passus sum absque iniquitate manus meas cum haberem ad Deum mundas preces, ecce enim in coelo testis meus*. Et c.17 [2] *non peccavi et in amaritudinibus* etc. et c.23[11] *viam eius custodivi* etc. et 27 [6] *non repraehendit me cor meum in omni vita mea* et 29, 30 et 31 late docet non solum fuisse iustum sed sanctissimum et iustissimum.

Respondeo nihil magis proprium esse eorum qui dicta afflictione animi excercentur. Sicut enim iis qui mari tempestate jactantur ascendunt usque ad coelos et ad abyssos descendunt etc inter inaequalium procellarum periculum fluctuantes misere tabescunt turbati et moti sicut ebrius et omni sapientia eorum devorata, sic quos illa periculosior et horribilior spiritualis tempestas exercet, nunc sibi videntur ad profundum peccatorum venisse et adeo damnationis metu terrentur ut ad desperationis ianuas accedat, nunc velut ab infernis subito cito revocantur et eo altius evehuntur quo magis fuerant ad ima depressi, partim enim ipsa procellae vis eos altius extollit ut ex alto deturbet partim ipsi per se ab illa desperatione fugientes statim ac respirare licet se consolantur anteactae vitae conscientia testem invocantes Deum et quae boni egerunt in memoriam adducentes et praesertim si aliquis se opponat et afflictionem interpretetur in deteriorem partem tunc magis acuitur animus ad sui defensionem et ad Dei gloriam pertinere iudicat et proximorum utilitatem; et cum deinde similibus procellis obruuntur in illa tetra caligine superior illa defensio sui, incredibilis superbiae larvam objiciens animo et crescens per nebulam. Videtur cete paratum a Domino ad Jonam devorandum, imo non devorandi sed devorato et assumpto prope ex cavernis viscerum opem implorant et se graviter deliquisse fatentur sed reclamat simplex conscientia et instauratur de novo tempestas et in varias partes [f.7v] distracti misere torquentur. Inter haec sonant clamores et quaerelae et laudantur mortui et feliciores non nati, acusat natalis dies. Et tamen nihil horum asserendo dicitur neque tan assensionem quam sensum doloris exprimit et dicere quodanmodo putat damnatorum voces imitari qui poenas eorum quodammodo luit.

7. Nota 1, saepe verba affectuose loquentis non esse accipienda secundum scholarum formalitates nec secundum rigorem logicae constructionis. Sive grammaticae ut dixi late Rom 9 lectio 1³⁵ et in Joannem de Passione Domini n° 15. Et ne hoc in Jobi maledictionibus novum videatur constat in graecos omnes, in Catena advertere Jobum ideo non de sequenti dici sed praeterito male precari ut maledictio cadat in rem non iam futuram, et hac ratione vim ostendat aegritudinis et consolationem aliquam malis sui quaerat et tamen vere nulli rei maledicat et quidem miserabilium vocum usurpari solet dolores aliquantulum mitigare sed viri erat religiosi dolorem suum sine

³⁵ ATG n° 73 [2010], pág.196.

alterius rei laesione lenire et exprobari rei potius imaginariae quam verae: nec tamen adeo haec adduxerim quod certo credam has Jobi imprecationes in praeteritum detorqueri sed quod ex ea graecorum interpretatione constet illos non constructionis formalitatem sed affectum perpendisse.

8. Nota 2, injuriosum esse in Jobum et iniquum qui has imprecationes asperius prolatas interpretatur ut impatientem animum modum dicendi prae se ferat, cum aequius et verisimilius sit si animo concipiamus Jobum modeste et mansuete non iratum sed humiliatum, non indignantem sed dolentem, non elata sed miserabili voce illa proferre etsi rigorem verborum, toni mansuetudine temperemus compasionem potius quam admirationem in nostris animis generabunt facilique explicabuntur. Contingit enim plerosque has quaerimonias indignanter prolatas putare et tunc valde admirari quod Jobus ita loquatur, quod sibi potius debent imputare quam Jobo.

9. Nota 3. Ex amicitia cum Deo et confidentia et conscientia rectae intentionis oriri solere ut homo audeat in vehementi afflictione veluti accusare Deum tunc maxime cum maxime vult esse subiectus, unde Policronius et Chrysostomus in Catena, in praefatione, aiunt ea quae a Jobo dicta videntur esse asperius ubi cum Deo disceptat quasi immerito diversatur. Hanc habere solatii plenam explicationem, si quis enim justii vetigia prosequutus et perturbante metu superato ad perfectam charitatem pervenerit doloresque cum cruciatu fuerit expertus videre poterit qua fiducia in Deo ad hunc modum loquatur fretus iudicio iusto illius a quo solo postulat iudicari. Quare et ipsum Deum complexus est cum intelligeret qua mente verba exponerent. Haec ille.

Et Chrysostomus c.2 [9] in id *perseverat autem in simplicitate et puritate* aut si quid deinceps audatius loquutus fuerit simpliciter esse adscribendum simplici et purae intentioni praesertim cum Jobus postea dicat *videt Dominus simplicitatem meam*, homini vero simplici et a nequitia prorsus remoto verbum aliquod non ducitur fraudi, quandoquidem non ex factis sed ex animi consiliis iudicare soliti sumus. Iniuriam filius adfert patri res plena impietatis et quasi parricida [f.8] est condemnatus quoniam nefariam vocem in patrem iactaverit suamque stirpem est ausus dedecorare. Quod si puer simplex ab omni improbitate alienus patrem matremque verberavit fuerit injuria illa quamvis voluptate obtabilior, quin etiam parentes saepenumero filios ad injuriam urgent atque sollicitant, sane non injuria verum mentis simplicitate integritate et innocentia delectati, ita Deus cum non ab improbitate ulla Jobi orationem proficisci intelligeret iudex ab eo delectus sanctum Jobum eundem iudicat. Haec ille. Possentque multa afferri ad hoc, sed difficiliter intelliguntur haec ab inexpertis specialem cum Deo amicitiam, expertis vero et in doloribus versatis pauca sufficiunt ut bene intelligentibus. Quare sat sit indicasse quam explicationem sanctissimi viri iudicaverint solatii plenam.

10. Sed dices si in magnis adversitatibus non solum licet sed continent egregiam confidentiam in Deo eiusmodi quaerelis lenire dolorem, cur opus fuit ad interiorum procellarum tempestatem confugere cum expressae narratae a Sacra Scriptura tantae sint ut quaevis licita quaerimonia videatur in eis legitimum habere locum, quaevis licita quaerimonia. Si enim rusticitas est in miseris rebus non flere, ex Euripide, ergo in maxime miseris non est extra rem maxime flere et quaerimonia, precipue cum Jeremias, c.20 similia et forte asperiora verba usurpet in calamitate externa Hierosolymae neque enim dici soli vel nosti maledicere videtur sed etiam homini. David etiam 2 Regum 7, in morte Saulis et Jonatae male precatur montibus Gelboe.

Respondeo summum luctum non decere nisi in summa miseria et ita aptius esse calamitatem intelligi esse majorem quam cernitur quando patientissimum Jobum videmus vehementius conqueri quam debuisset si solum de expressis doleret malis, alioqui enim quid hic objecero omnibus interpretibus facessit et quid est quod omnes admirantur nisi prima facie videretur Jobum excedere. Unde sapienter Origenes³⁶ ait nisi ita amare fleret Job nullus homo crederet adeo amara fuisse supplicia quae pertulit et tormenta; et Chrysostomus ait hunc quaerimonarum excessum ad admirationem proponi non ad imitationem.

Et tamen in simili dolore sane non esset repraehensione dignum similiter lamentari, alioqui enim non proponeret nobis Sacra Scriptura aptum patientiae exemplum. Si ergo in morte filiorum et gravissimo cruciatu corporis indignum esset eiusmodi quaerelas edere ut videtur fateri Chrysostomus, ergo signum est Jobum alia majori multo tempestate jactatum, id quod postea ex disputationis contextu liquido apparet ex supra, n.4 et 5.

Dico ergo eos qui in easdem procellas inciderint licere et posse imitari Jobi exemplum, et hunc librum videri inter alios ad hunc etiam finem esse scriptum ut eiusmodi afflictis tribuat conquerendi audaciam et solamem in laboribus. Sicut enim illae Christi Domini voces *Deus meus ut quid dereliquisti me* confidentiam praebent eis qui sibi videntur derelicti a Deo similiter loquendi ita etiam Jobi quaerelae confidentiam praebent similiter lamentandi, equum est enim de Dei bonitate sentire horum afflictorum maxime curam gerere et eis peculiariter [f.8v] de hoc libro providisse, et hac ratione inter alias illos urgere ut eas injurias quibus ipse delectatur contra ipsum proferant ut verbis relatis n° 9 Chrysostomi utar. Adde hanc explicationem mire deservire contextus sequentis ordinationi in quo multa sunt inexplicabilia meo iudicio si Jobus de morte filiorum aut de corporis aegritudine solum conqueratur; et praeterea haec explicatio semel admissa maxime valet ad perpendendam peccati malitiam quandoquidem eius umbra tanto vehementius Jobum afflixit quam corpus omnium aliarum calamitatum ut in iis pa-

³⁶ *Anonymus in Job, lib.3. PG 17,513.*

tientissime gratias egerit in illa miserabilissime sit conquestus. Porro quod de Davidis implicatione aducitur valde diversum est.

Ad Ieremiae exemplum Respondeo illum etiam videri conturbatum pre-videntia peccatorum quae populus in captivitate illa admissurus erat praeter alios sensus propheticos quales hic etiam Gregorius³⁷ et Philipus et Severianus in catena meditantur, sed non debuissent litteram contemnere. Severianus ad litteram descendens explicat utinam numquam essem in lucem susceptus ne mea causa Deus accusaretur. Sed non esse sibi placet explicatio et subdit Jobi excusationem, nempe ipsum ante tempora gratiae fuisse et adeo non mirum esse quod tantam molestiam ex humanarum rerum incommodis susceperit. Sed non cohaeret hoc cum tanta viri perfectione et cum animi aequitate quam in dolorum initio exhibuerat.

Sed dices: si verum est Jobum post expressas calamitates in spiritualem maiorem incidisse cur non numeravit eas Sacra Scriptura ante querelas. Respondeo quia vix poterat intelligi nisi ex ipsis querelis, et satis significatur novum exarsisse bellum quandoquidem adeo perturbatur qui omnia prius tanta aequitate pertulerat et res tota ex verbis postea Jobi erat satis manifestanda, et ita invenitur aliquid in nostro poemate eius artificii, quod in Virgilio laudatur qui principium historiae reliquit narraturo Eneae.

11. Descendendo ergo ad contextum optime notat Titelmanus³⁸ quod quamvis ex ratione Jobus verba illa loquatur non tamen explicat quid deliberate velit sed quem affectum sentiat ita ut pro affectu loqui videatur ratio; itaque si formalitas queratur perinde est dicere pereat dies ac si diceret adeo me praesens affligit dolor ut occurrat animo satis fuisse non fuisse nec solum occurrat sed fere vincit huiusmodi affectus, iste est sensus si adamusim explicanda sit quid vere potuerit dicere ex deliberatione sine peccato; sed hoc ad quod disertis verbis frigide dicitur multo vehementius melius dicitur per illam imprecationem et querelam lamentabilem atque ut suum dolorem significaret merito audet ea ratione loqui ut qui de sua simplicitate coram Deo confidit.

12. Circa singulos deinde versus multa sunt notata ab interpretibus. Sigillatim quae nolo transcribere sed brevi indicare quomodo simplicius et facilius littera ordinetur [f.9] in qua videtur supponendum Jobum fuisse de die natum, de nocte conceptum ad finem unius mensis et principium alterius. Ordina textum:

-1 et 2, post eos dolores alia saevior multo tempestas afflixit interius Jobum adeo ut in has quaerelas prorruerit.

-3. ¡ o me miserum et infelicem, numquam fuisset dies illa in qua natus sum nec nox in qua dici potuit me fuisse conceptum!

³⁷ GREGORIUS MAGNUS, *Moralium, In c.3 beati Job.* PL 75.637.

³⁸ TITELMANUS, *Elucidatio in l. Job, c.3.* Parisiis 1547, f.28v.

-4.5. quoties per anni circulum dies illa redierit densissimis obscuretur tenebris

-6. Et cum nox redierit occupetur horrendo turbine et adeo infausta habeatur ut nulli adnumeretur diei nec mensis nec praecedenti nec subsequenti.

-7. Atque ita solitaria maneat et omnibus detestabilis.

-8. Adeo ut illi etiam qui odio persequuntur lucem et tenebras amant et in eis daemonis auxilium implorant nihilominus huiusmodi noctem perhorrescant et maledictione congerant in eam.

-9. Et ad horrores eius et caligines accedat nimia prolixitas ut videas numquam ei susceptura lux nec aurora.

-10. Nec enim fas est noctem esse placidam quae locum praebuit meae conceptioni infelici quem si non praeberet nunc nihil tantae calamitati experiret.

-11 et 12. Iam vero si omnino decretum erat me esse concipiendum cur Domine non sum in vulva mortuus aut saltem cur non perii in egressu ex utero matris. Utinam non fuissem genibus exceptus nec uberibus lactatus. -13. Ut haec mala non me invenirent sed nunc requiescerem.

-14,15 et 16. Sive cum regibus sepelirer et principibus, sive nullum existeret mei sepulcrum sed cum abortivis absconderer aut cum eis qui concepti non viderunt lucem.

-17. Certe ubicumque homo jaceat ab impiorum tumultum liberatur et ab huius vitae molestiis requiescit.

-18.19. Oppresi liberantur a tyrannis, parvi a magnis, servi a dominis, has enim omnes fortunae inaequalitates tollit mors et omnibus huius vitae miseriis finem ponit.

-20.21.22.23. Cur ergo Domine huius lucis conservas et vitam praebes ei qui vehementer optat mortem et viro cuius abscondita est via.

-24. Certe adeo me taedet vitae ut aegerrime feram cum ad eam sustentandam cogor manducare.

-25. A magna enim felicitate, sicut timebam incidi in magnam miseriam et video me adeo derelictum.

-26. Nonne patienter tuli priores, adversitates, quomodo ergo post ease venit super me indignatio Dei.

Caput 4

1. Hic incipit disputatio inter Job et tres amicos et omnes interpretes conveniunt hos tres bono celo esse incitatos tum ut Dei providentiam defenderent, tum ut Jobum revocarent ad sanctiorem mentem, in quo pietatem suam in Deum et sinceram amicitiam in Jobum ostendunt constatque etiam hunc zelum non fuisse secundum scientiam sed ignorantia culpabili vitiatum, dum

Jobi verba in malam partem accipiunt et forte suspicantes illum fuisse hypocritam in quo Deus permittebat eos a daemone deludi ut sic etiam Jobus exerceretur. Certum ergo est hos tres deceptos in sinistra opinione de Jobo concepta sed an secundum quas adducunt ad defensionem providentiae divinae et [f.9v] amici correptione an istae sententiae sint in universum verae difficile est. Ex hoc pendet dictorum expositio et auctoritas.

Dubitatur ergo an liceat contemnere aliquam doctrinam horum trium, et videtur licere.

-1. Qui non potest errare in doctrina habet auctoritatem infallibilem in omnibus sive pertineant ad doctrinam sive non, aliter sacris scriptoribus non teneremus in omnibus credere, ut cum de cane Tobiae meminere. Cum ergo hi amici errarint in opinione quam proferunt de Jobo, ergo non est certum non errare in doctrina.

-2. Deus autem ad Eliphaz c.42, v.7, *iratus est furor meus etc quia non estis loquuti coram me rectum sicut servus meus Job*. Sed Jobus dicitur miscere sententias sermonibus imperitis, ergo Eliphaz plus quam imperitis, ergo vera falsis miscet.

-3. Multi interpretes dicunt Eliphaz et socios insipienti studio concitatos, in divinae providentiae rationibus prorsus hallucinari, quod mala quibus hominum vita tentatur in scelus referunt universim. Ita Olympiodorus³⁹ in Protheoria capituli 4, confirmat ex textu *recordare obsecro quis unquam innocens periiit* etc quae doctrina videtur omnino falsa, ut patet in morte Abeli. Ergo etiam in doctrina decipitur Eliphaz.

2. Ego tamen non auderem falsam doctrinam tribuere amicis, Paulus enim 1 Cor 3,19, ut probet *sapientiam mundi stultitiam esse apud Deum* ex equo probat id ex dicto Eliphaz et Ps 93 et ita citat non solum Eliphaz sed etiam eo modo citat ut ostendat clare se scitare divinam Scripturam, ait enim *sapientia huius mundi etc scriptum est enim comprehendam sapientes in astutia eorum* et iterum *Dominus novit cogitationes sapientum quia vanae sunt* [Ps 93,11]. Respondebit forte ob id Paulus addidisse alterum testimonium ex Psalmis quia videbat non esse sat firmum adductum ex Eliphaz.

Verum textus Pauli non ab hac suspitione removet, si enim ita esset non diceret *scriptum est enim*, nec per *ly iterum* aequaret auctoritatis pondus utriusque. Adde saepe sacri doctores et concionatori exemplum Pauli imitati horum dicta ut Sacrae Scripturae adducunt et exponunt ut id *in angelis suis reperit pravitatem* etc.

3. Item amicitia cum Jobo sapientissimo certificat illos esse sapientes et ita apellantur saepe a graecis, et ex eorum disputatione sat constat eos esse valde instructos in arcana theologia maxime cum negari non possit Deum

³⁹ OLYMPIODORUS, *In beatum Job*, c.4, PG 93,71.

cum Eliphaz loquutum unde non est verisimile illum falsam opininem de divina Providentia habuisse nec cohaeret ut sciens *Deum in angelis reperisse pravitatem* ignorat mortem justi Abel etc et ita Jobus suam defendit innocentiam numquam tamen amicorum theologiam contradicit sed subscribit c.9,v.2, *vere scio quod ita sit*, c.12,v.3, *et mihi est cor* etc *quis enim haec quod nostis ignorat*, quien os lo niega aquí.

Ad 1 Respondeo Eliphaz et socios non proponi in Sacra Scriptura ut scriptores sacros quibus in omnibus credendum sit sed proponi ut sapientes et amicos Dei quorum proinde theologia approbatur et nihilominus dicuntur fuisse decepti in opinione de Job et ita sicut epistola Fr. Luis de Granada quod in approbatione cuiusdam deceptricis monialis nuper examinatae circum ferebantur doctrinam continebant salutarem et longe alienam ab errore in theologia licet falso applicatam in favorem deceptricis [f.10] ita dicemus Eliphaz et sociis contingere et sicut si divino oraculo constaret sapientia et doctrina fr. Luis quam omnes merito veneramus ex ipsismet litteris in favorem deceptricis scriptis seclusa illa peculiari opinione de illius mulieris sanctitate quae nihil derogat doctrinae sed vel imprudentiam prodit vel simplicem animum vel naturae humanae incertam providentiam, reliqua omnia quae doctrinam continent valent etiam ad convincendos haereticos, ita ex rationibus Eliphaz etc quos Sacra Sriptura proponit ut sapientes et amicos Dei sed in opinione de Jobo deceptos, omnia quae ad doctrinam vel theologiam pertinent valent ut oracula divina ad veritatis confirmationem, licet in applicatione et opinione de Jobo ut homines erraverint et sicut ad vanam illius mulierculae gloriam nihil maius potuit contingere dum eius deceptio non erat prodita quam a viris sapientibus laudari et coli sic ad examen patientiae Jobi nihil fere gravius contingere potuit quam eum quem Deus interius excercebat, a sapientibus et amicis Dei et despici et tanto studio reprobari, et ita eiusmodi patientiae probatio non debuit desse in eo quem Deus ad nostrum solatium et exemplum patientiae per omnia tentatum voluit.

Ad 2 Respondeo Jobum fuisse imperitum sermone sed non prudentia nec scientia quia sapienter et prudenter conquerebatur licet prae dolore minus modesta quandoque viderentur eius verba: amici tamen illius verbis forte magis compositis suam imprudentiam nihilominus indicarunt et in ea quaestione an Jobum esse iniustum pro eo contra amicos eius protulit Deus sententiam et ita verum est eos non fuisse recta loquutos sicut Job licet in doctrina non erraverint.

Ad 3 excesit Olympiodorus⁴⁰ et alii. Gregorius⁴¹ vero dum haereticorum personam tribuit Eliphacem iuxta suum morem mystice loquitur. Ad confirmationem patebit in expositione textus.

⁴⁰ OLIMPIODORUS ALEXANDRINUS, *In beatum Job*, c.4. PG 93,70.

⁴¹ GREGORIUS MAGNUS, *Moralia*, lib.5. PL 75,693s.

4. *Genua tremantia* etc Stunica his verbis intelligi credit proclivitatem ad libidinem. Simplicius est ut haec verba contineant repetitionem illius versus *vacillantes confirmaverunt* etc et in utroque significatur Jobum olim confirmasse verbo et forte etiam opere eos qui in laboribus impatientes et tanquam desperare videbantur.

5. *Tetigit te* etc grece *festinatur* vide Eccli 2[2] *ne festines in tempore obductionis* et nota id quod in Isaia legimus qui crediderit non festinet exponi a Paulo *non confundatur*, et facit hispanismus fugere et discedere est erubescere et currendi verbum festinationem et confusionem solet exprimere etc.

6. *ubi est fortitudo* etc. scilicet, si quam olim habuisti.

7. *Quis unquam innocens perit* etc. Catholice duplex sensus est: Primus quasi diceret Deum plerumque licet non curet multum magnas divitias et prosperitates temporales suis amicis tribuere, tamen fere semper eis de necessariis providet. Haec est enim divinae providentiae ordinaria gubernatio, iuxta quam dicitur non vidi *justum derelictum* etc, licet enim non valde referat ut Deus suis amicis splendorem fortasse tribuat raro tamen eis deesse permittitur domesticum fructum. Multis locis Sacrae Scripturae docemus iustum frustra pane plus sibi satisfacere quam impium multis epulis. Iuxta hunc sensum videretur Eliphaz suspicari tantam stragem in domo Jobi ob occulta aliqua peccata contigisse.

Secundus est ut iustus licet fame intreat non dicatur vere perire *visi sunt enim oculis* etc *illi autem sunt in pace* [Sap 3,2] in quo sensu non opus est ut suspicetur Eliphaz aliquod de prioribus Jobi peccatis sed solum de praesenti impatientia et desperatione quasi diceret in mediis calamitatibus iustum non abjiciunt animum sed alacres confidere adversus omnia, non posse sibi interitum afferre; licet enim mors ad devorandum accedat certi sunt omnia in bonum eorum maius ordinari et ita, amice Job, non auderes sapienter te gerere in naturalem inveheris et Deum acusas, iniustitiam et desperationem tuam clare prodens etc

Iste secundus sensus sublimior et simplicior primo, in quo ex singulari Dei providentia erga iustos qui animas eorum non solet permittere fame interire, cum adeo insolentem calamitatem Jobum oppresisse videret et eius quaerelas ex impatienti animo procedere putaret [f.10v] profusit sibi non tantam fuisse Jobi sanctitatem ut ad patientem specimen singularissimam divinae caritatis ostensionem existimaret referri quam oculis videbat tragediam. Quam opinionem ut Eliphaz sequeretur non opus est illum existimare habere... nec de divina providentia male sentientem quia in simili casu pauci essent ex Doctoribus theologicis magistratibus qui non similiter philosopharentur, paucissime enim sibi persuaderent tam diversas esse illius spectaculi rationem ab aparentia.

8. *Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem* (hebr et grece *amantes iniquitatem*) et ita integra desumitur ab agricultura metaphora sicut alibi a generatione animalis *concepit dolorem* etc [Ps 7,15] ergo iniquitas et dolor pro eodem sumuntur id est non pro poena sed pro culpa quae est origo poenae, et quia culpa explicata est allegorice per agriculturam poena etiam in eadem allegoria designatur flante Deo periisse; solet enim etiam post messem adversus et vehementior ventus agricolae laborem inanem reddere repentinus; ergo divinae irae spiritus penitus destruet huiusmodi pessimos agricolas deseriet enim secum etiam fulmina et ignem si opus sit.

9. *Rugitus leonis* etc optime hoc Stencus de subita vindicta etiam potentiorum et quorumvis peccatorum. Sed addit Policronius in Catena forte Jobum ob regiam potestatem leoni comparari et quasi nutu significari eum tum ingenio ad rapacitatem proclivi, tum elato animo fuisse. Voces vero *leena* ad coniugem pertinere, *catulorum* vero etc ad fastum et superbiam ad filios et dum haec omnia extincta esse dicit tacite Jobi calamitatibus... Et quia 70 hic etiam mirmecoleum meminere subdit... Jobis... adeoque peccati labe aspersus iusti nomen sit simulandi artificio adeptus.

10. *Porro ad me dictum est* etc. Latini et hebraei expositores citra controversiam hoc ad peculiarem revelationem referunt. Graeci tamen in Catena alio etiam rem derivant; Olympiodorus⁴² enim ait fortasse tale quidpiam esse quod dicit Eliphaz verere eum qui inmittendis... irrogat supplicia hominibus cuius quidem est formidolosa notitia aeterna si quando naturae illius fuerim admirabilem excellentiam mente complexus accedere, idem mihi sentio quod iis evenit qui intempesta nocte arctissimo silentio omnia occupante a nocturno tamen sonitu perterrentur, quo circa huiusmodi in me notitiae horrore ac tremore perturbant nec quicquam aliud in animi intelligentia relinquitur nisi obscura quaedam notitia incomprehensi spiritus; quod si ratiocinando altius evolavero prorsus nihil cognovero. Cum enim divina natura nulla sit facultate praedita nostrum animum fugit obtutum et quanto magis animus invenire nititur tanto minus quaerendo invenit, est enim illius imago incomprehensa quam noster animus tanquam tenuem auram sedatam quia voces qua mens reficitur sentit oritus quam sensus ille a quadam divina actione ipsa natura Dei nequaquam se ostendente ut quae percipi non possit sitque tota horrida cuius contemplationi tenebras caliginesque mentibus oboriat ac simile quicquam quod sit invento consequi... Similiter fere explicat Policronius dicens non inquit auris mea quae mediocritatem superat accipit a Deo equidem cum ipse saepenumero disputantem de Deo audirem ac disputationem ego conarer attingere perterrefactus et tremefactus omnino et

⁴² OLYMPIODORUS, *In beatum Job*, c.4,12. PG 93,74.

quemad-[f.11]-modum cum tempestas nocte quieta quasi cuiusdam circum cursantis percipimus cogitationem et sicut flatus ruentis motionem sentimus ipsum contueri non posumus, sic de Deo mihi cogitanti cum illud invenisse me credo tunc elabitur maxime neque ea re tamen divini splendoris expers omnino sum, cur ergo Job secus philosopharis, cur non times Deum adeo excellenti natura preditum quem quanto quis acrioribus rationibus assecutus videtur tanto eum magis absoluta quaestione perceptio sugerit ingenique sui tenuitatem et quaestionis pondus prospexerit. Haec ille.

11. Videtur etiam Olympiodorus⁴³ aliter explicare et non de revelatione quam peculiariter a Deo acceperit Eliphaz sed de horrore quem inter dormiendum perpesus sit, de una gran pesadilla, sic enim ait: timeas o Job eum qui noctu etiam dormientibus supplicium sumit nocturnum cum visis excerceat, quod et audivi ab aliis et etiam ipse sensii qui territus somniis saepe contremui cum osium armonia paene convelleretur universa objiciente se mihi et irruente in me quidam spiritus per phantasiam nulla interim mihi certa fantasia vel specie percepta solius vocis exterrentis sonitum audiebam qui sensim admonebatur ac me tremere cogeat. Haec ille.

Quod si quis objiciat indignum esse gravitate philosophica insomnia in disputationem afferre responderet forte Olympiodorus postquam Dei supplicia manifeste narravit Eliphaz non inepte cadere quasi diceret ego quidem nihil huiusmodi expertus sum hactenus sed vel insomnia ipsa de Deo tantum mihi horrorem incuserit ut meminisse horreat animus.

12. Verum istae explicationes supra dictae non satisfaciunt sensui nec contextui, et ita videtur Olympiodorus⁴⁴ sibi non satisfacisse, fatetur enim locum esse difficilem. Si vero eum cum latinis et hebraeis explicaret de peculiari revelatione divina facta ipsi Eliphaz forte non ei difficilis videretur. Aptius ergo multo est ut Eliphaz narret quod ei Deus revelaverit et ut illa verba *numquid homo Dei comparatione iustificabitur* usque ad finem capitis sint oraculum quod Eliphaz audivit in illa visione tremenda. Porro quomodo visionis huius forma et circumstantiae cohaereant cum aliis narratis in Sacra Scriptura multi optime, sed quomodo facta sit haec revelatio Eliphato, id nullus tangit quod viderim, et licet in hac re non habeam nisi conjecturam crediderim tamen et ad historiae connexionem et ad aptiorem rerum consequentiam pertinere si id quod suspicor verum est, nempe Eliphacem cum audiret calamitem Jobi domus, quem et familiariter et norat et ut sanctissimum iudicaret conturbatum esse valde et admiratum quomodo Deus sic se gereret erga virum innocentem et quia forte in his ratiocinationibus ut fieri solet nonnihil excedebat Elifaz et ut amicum apud se defenderet, videbatur

⁴³ OLYMPIODORUS, *In beatum Job*, G 93,74.

⁴⁴ OLYMPIODORUS ALEXANDRINUS, *In beatum Job*, c.4,12. PG 93,74.

quodammodo Deum accusare; ideo Deus ut illum reprimeret et ut postea narrata visio patientiae Jobi exercendae nonnihil adderet, apparuit in visione nocturna per se vel per angelum Elifato et illum cum verbis terruit *numquid homo Dei comparatione iustificabitur* etc, quasi diceret unde est ut Jobi defendas innocentiam meam accusare sanctitatem? [f.11v] credis illum esse puriorem quam sum ego?

Hoc supposito utpote probabiliter, apte intelligitur quod erat alioqui difficile, nempe quorsum incipiat oraculum ab illis verbis *numquid homo* etc, iste enim incipiendi modus omnino ut apte cadat videtur postulare Elifazium aliquomodo Dei innocentiam in iudicium vocasse item hac ratione constabit plene cur statim initio suae disputationis suam adducat visionem Elifazus. Facit etiam haec conjectura valde ad oraculi contextum quod erat alioqui difficile ut in contextu apparebit.

Sed id unum videtur obstare quod si Deus de calamitatibus Jobi loquebatur ex illis verbis colligere poterat Elifatus Jobum ob occulta crimina puniri praesertim cum Deus ut suam sanctitatem defendat videatur adducere casum angelorum et potius videbatur debuisse quodammodo Deum excusare suum amicum Jobum quam eam suspicionem in animum Eliphazii relinquere. Respondeo consilium Dei fuisse ut Elifazus nondum cognosceret Jobi innocentiam ut relinqueretur locus illi disputationi ex qua magnus fructus erat colligendus quare opus est ut divini oraculi verba ita excipiamus ut neque Jobum Deus accuset nec excuset sed suam innocentiam solum tueatur in illo iudicio, hoc autem erit facillimum si verba Dei et Eliphaz intelligas non fuisse plura quam illa: *numquid homo Dei comparatione iustificabitur aut factore suo purior erit vir*, et deinde Elifatum cum Jobo de suo argumentaretur et dicat *ecce qui serviunt ei non sunt stabiles* etc, et ista connexio mihi valde arridet et tollit difficultatem...

Si quis vero omnino velit ut sint verba Dei ad Eliphaz usque ad finem capitis poterit hac ratione connectare: si natura angelica fuit subjecta culpae quid mirum quod natura humana subjiciatur poenae cum terrenum habeat fundamentum et ipsa vita hominum sit quaedam mortis successio et continuatio, quod quia pauci serio animadvertunt ideo effrenate peccant et per peccatum incidunt in mortem alias multo diuturniorem et in miseras longe diversas ab eis quas nunc patitur Jobus, is enim temporaliter cruciatur illi vero in aeternum peribunt et similiter eorum filii atque nepotes propter similem stultitiam cruciatus aeternos subibunt. Haec poterat esse connexio verborum Dei usque ad finem capitis id est iste sensus in mente Dei, licet ita essent verba temperata ut dubitare posset Eliphatus an quae de morte aeterna impii et filiorum eius dicebantur pertinerent ad Jobum et eius filios, neque enim nunc id agitur ut excusetur Job sed ut Dei iudicium defendatur et Eliphaz prorsus nesciat an innocenter vel secus patiatur Jobus.

Eugubus hic repraehendit Lirano quod illa verba *in angelis suis reperit pravitatem* de casu angelorum interpretetur. Ego quidem attentissime eas explanationes quas ipse Eugubus adducit ex rabinis et illas prorsus nescio applicare contextui, et quam ipse censet esse Lirae video esse omnium interpretum, dempto Eugubio cum rabinis, nec solum est latinorum sed etiam graecorum. Athanasius⁴⁵ in catena ait rerum quod creatione generatione effectae sunt mutabilis est natura ut quae extra Dei sint essentiam atque ita diabolus cum intermediis cherubinos versaretur essetque signaculum virtutis Dei ut fulgur de coelo decedit. Olympiodorus⁴⁶ [f.12] naturam mutabilem angelorum fabricavit Deus ita ut possent in repraehensionem culpae incurrere quod sane angelis desertoribus evenit. Chrysostomus⁴⁷ ibidem id declarat Dei Sapientiam qui ne angelos eorum naturae efferret excellentia pravum quid contra eos excogitavit id est eos qui proprium deseruerunt domicilium supplicio constrinxit. Ita etiam ibidem Didimus et cum eis omnes Patres latini.

Caput 5

1. *Voca ergo si est etc. convertere.* Eugubus per irrisionem cum hebraeis interpretatur quasi diceret voca qui me refellat et veriora demonstret et qui tibi justo, injuste Deum obtulisse... posit attendere et me comprobare mendacem, adduc pro te aliquem ex sanctis vel aliter ostende mihi numquid aliquis eorum perinde ac tu in calamitatibus se gesserit. Et facit Policronius in Catena, explicat enim *voca*, id est age... tuae comitem, mihi profer aliquem.

Nota tamen graecorum lectionem esse huiusmodi: invoca si quis te audiat aut aliquem sanctorum angelorum videas, quod Policronius refert ad objur-gationem verborum Jobi, quasi Eliphaz dicat ea usus est orationum asperitate ut nec angeli responsione nec conspectu dignandus sis si eum invocaveris.

Olympiodorus⁴⁸ existimat Eliphaz ut moneat Jobum non esse contra Deum indigne loquendum objicere illi naturae humanae inaequalitatem, quasi dicat tu es homo atque adeo usque eo inferior Deo ut non solum non valeas illum videre nec comprehendere sed etiam ut nec a te millies inelamatus sit responsurus quid loquor Deum ? Quandoquidem nec ejus angeli immensum possunt aspectum incurrere.

Stumica credit Eliphatum quasi victorem de Jobo triumphantem ex eo quaerere num ex simili oraculo suam posit de horum vita probare sententiam. Gregorius⁴⁹ etiam putat insultare Eliphatum Jobo ac si aperte dicat quantumcumque

⁴⁵ ATHANASII, *Fragmenta in Job*. PG 27,1346s.

⁴⁶ OLYMPIODORUS, *In beatum Job*, c.4, v.18. PG 93,78.

⁴⁷ J. CHRYSOSTOMUS, *Fragmenta in beatum Job*, c4, v.18. PG 64,587.

⁴⁸ OLYMPIODORUS, *In beatum Job*, c.5. PG 93,79.

⁴⁹ GREGORIUS MAGNUS, *Moralium lib.5*, v.1. PL 75,723.

afflictus clames, Deum tibi respondentem non habes, eo quod illum prius contempseris et sanctos quoque invenire in afflictione adjuutores non vales quos habere socios in hilaritate noluisti. Adducunt quidam illam Psalmi exprobatorem *ubi est Deus tuus* et id Mt 27 *sine, videamus an veniat Elias et liberet eum*. His tamen omnibus perpensis et considerata amicitia inter Jobum et Eliphaz aptius videtur cohaerere contextum meo iudicio si iste versus non contineat irrisionem amaram sed amicam et seriam admonitionem de humili sanctorum invocatione in quem sensum adducitur iste locus a Belarmino⁵⁰ in controversiis fol. 97 et 1520. Dico aptius cohaerere quia adducta divini oraculi sententia et naturae humanae imbecillitate obiecta non ita bene habet ut de repente per irrisionem ita amare obiurget amicum. Multo certe melius ut ex superioribus colligat non debere Jobum superbe sapere sed ad divinum numen implorandum supplicem accedere et si Deum fortasse habet iratum advocatos adhibere angelos qui nobis sunt intermedii inter Deum, et aptissime sequitur stultum esse in calamitatibus iracundia effervescente et multo salutarius humiliter implorare sanctorum opem.

2. Caetera optime multi. Illud *homo ad laborem avis ad volandum*, comparative plerique. [f.12v] Graeci vero quasi diceret hominem non posse a laboribus avolare. Facit locus Isaiae 8[22] *ecce tribulatio et tenebrae* etc et non poterit avolare.

In sex tribulationibus liberabit te etc. Vere Olympiodorus⁵¹, Didimus, Pollicronius.

Quod auditum etc, graeci legunt ita: tu autem cognosce te ipsum si aliquid egisti.

Contextus totius capituli. n.1, monet ut supplex impleret opem divinam et non iracundia ferbescat.

Deinde, n.3,4,5, videtur dicere id Jobo contigisse quod solet plerisque impiis contingere.

Deinde n.6 et 7, praecipit ut animadvertat calamitates non casu evenire sed a Dei providentia inmitti et naturam humanam non posse eas effugere nec habet alas ad avolandum.

Et n.8 ad 16 colligit sanum consilium esse supplicem accedere ad Deum ut ei faveat, a calamitate liberet, et daemonum conatus enervet et aliorum inimicorum, haec enim omnia Deo sunt facillima.

Et n.17 ne videretur afflictorum statum condemnare asserit se non labores sed impatientiam repraehendere, se enim probe nosse felicitatem proximam esse eum qui a Deo corripitur et aequo animo fert correptionem. Hortatur ergo ut calamitatem patienter ferat, sic enim fiet ut statum pristinum Deus cumulatissime ei restituat.

⁵⁰ Véase la nota del principio.

⁵¹ OLYMPIODORUS ALEXANDRINUS, *In beatum Job, c.5, v.18*. PG 93,83.

Et n. 27 monet ut propriam rimetur conscientiam et agnoscat et praeterita peccata et presentem imparationem.

Caput 6

1. *Respondens etc utinam etc appenderentur etc.* Graeci aliter legunt: si quis appenderet iram meam et dolores meos simul sustuleret in stateram profecto arena maritima gravior erit et videntur substituere stateram illam graviorem esse arena maritima, nam Olympiodorus⁵² et Chrysostomus⁵³ ita interpretantur quasi optet Jobus suas acerbitates et dolores in unan staterae lancem imponi, maris autem arenam in alteram et tunc dicat suorum malorum lancem multo maiori pondere deprimendam; itaque Chrysostomus⁵⁴ per illam intelligit moerorem et animi aegritudinem et coniungit hanc iram cum caeteris doloribus in eadem statera aut lance et stateram illam ait fore arena graviorem, in quo sensu nulla fit mentio de peccatis Jobi et ita prorsus tollitur difficultas quam affert nostra lectio a qua nobis non licet discedere.

2. Eugubus repraehendit hic nostram lectionem et ait in hoc loco ab omnibus Hieronymum reclamari et in hebraeo pro peccatis esse indignationem et sensum genuinum esse huiusmodi: quia dixerat Eliphaz Jobum supra modum indignatum fuisse quasi furore et impatientia correptum et ideo nunc Jobus ait utinam haec indignatio quam mihi objicis cum calamitate quam patior aequa lance examinaretur, videres enim indignationem meam esse multo minorem quam pro mensura calamitatis, cuius gravitati potest arena maris in exemplum adduci. Citat pro hac explicatione Burguenses et in communi omnes, nempe hebraeos, eandem etiam adducit Stumica et tribuit Chrysostomo in Polychronio, sed ipse non viderat Catenam, deceptus vero fuit eo quod in Eugubio legerat Chrysostomum cum Polychronio per iram intelligere animi commotionem sive dolorem animi qui fit ex calamitatibus et quidem Polychronius de suo addit Eugubium, quia hic non habetur in Catena, Chrysostomus vero quamvis per iram intelligat animi moerorem non tamen comparat calamitatem cum moerore animi sed moerorem et calamitatem cum arena maris.

3. [f.13] Olympiodorus⁵⁵ quod in graeco dicitur *quis appenderet iram meam* exponit quasi diceret si quis appenderet iram Dei in me, unde infert Stumica bene posse conciliari nostram lectionem cum graecorum expositione si in illorum lectione ira non ponatur active sed pasive de ira Dei in Jobum. Verum Olympiodorus manifeste refert explicationem ad iram quam

⁵² OLYMPIODORUS, *in beatum Job, c.6.* PG,87.

⁵³ J. CHRYSOSTOMUS, *Fragmentain beatum Job, c.6.* PG 64,590.

⁵⁴ J. CHRYSOSTOMUS, *Fragmenta in beatum Job,c.6.* PG 64,590.

⁵⁵ OLYMPIODORUS, *In beatum Job, c.6,4.* PG 93,87.

Deus in Jobum exercebat ita ut calamitas Jobi et ira Dei in illum pro eodem accipiantur, et illorum statera dicatur esse gravior quam arena maris, et si de antea peccatis loqueretur Jobus non cohaereret sensus significando peccata per iram Dei quia hac ratione debebat significare Deum illi magis irasci quam pro merito peccatorum et ita calamitas non esset gravior quam ira Dei.

4. Multo facilius est conciliare nostram explicationem cum Eugubii explicatione si intelligamus Jobum non de communibus suis peccatis loqui sed de illis verbis quibus suam calamitatem deploraverat cap. 3, in quibus visus fuerat Eliphato vehementer Deum offendere atque ita iram Eliphati commoverat, qua ratione constructio erit huiusmodi: utinam haec peccata mea quae mihi objicis et quibus tibi videor magnam iram mereri, nempe quaerimoniae et expostulatio cum Deo, utinam haec in una sterae lance ponantur et in altera calamitas quam patior apud aequum rerum aestimatorem, tunc enim mea calamitas appareret multo gravior. Ecce iste idem sensus est propter quem Eugubus discedit a nostra litteratura et repraehendit Vulgatam, cum tamen posset facile hunc sensum nostrae litterae accommodare.

5. Si tamen communis latinorum expositio alicui magis placeat, in quo calamitatem suam esse graviorem peccatis quae commiserat affirmat Jobus multi bene docent qua ratione id verum habeat, nempe iuxta commune supplicium quod Deus solet in hac vita de peccatis sumere; sed si verum est Jobum interioribus conscientiae stimulis mire exerceri ut late supra c.3, v.4 et infra, in ea meditatione facilis et apta occurrit explicatio horum verborum et optime cum sequenti texto cohaerens; qui enim credit se scrupulis angi, licet sibi nequeat satisfacere saepe tamen conatus in memoriam adducere se esse scrupulosum et non pro vera peccatorum mensura sed multo magis perturbari pro falsa peccatorum suspitione, metus enim supra omnem mensuram et modum auget ea quae objicit animo. Sicut ergo qui credit se esse valde timidum optaret apud se non maiora iudicare pericula quam re vera sunt, sic scrupulosus optat non maiora existimare peccata; sed quia uterque non tam rei veritate quam veritatis umbra terretur et solet rei parvae grandi umbra videri ideo solet esse maior metus vel scrupulus quam pro modo periculi vel peccati.

Dices: numquam potest esse dolor maior quam pro merito peccati; quodvis enim malum culpae licet levissimum praeponderat cuius malo poenae etiam gravissimo. Respondeo adhuc manere quandam proportionem inter peccata et eorum existimationem, qui enim levissimum aliquid veniale existimat esse gravissimum letale, nonne velut arena injecta facit ut pondus existimationis praeponderet gravitati peccati. Id ergo est quod Jobus significat. Et nota arenam non solere adhiberi in stateram nisi ut decipiat et faciat rem alioqui levem videri magis deprimere lancem. Apte ergo ait Jobus cum de-

linissent peccata et eorum existimatio aequo pondere librari et sibi [f.13v] adamusim correspondere, effectum esse velut arena maris injecta, ut existimatio et calamitas valde praeponderent. Adde quod saepe scrupulosi non de venialibus solum anguntur sed de his etiam in quibus nullam admiserant culpam, et tunc facile apparet quo modo calamitas praeponderet peccato.

6. *Sagittae Domini etc. ebibit etc. terrores Domini militant contra me.* Nota 1º, sagittas infixas videri sanguinem bibere et ita Dt 32[42] dicitur *inebriabo sagittas meas sanguine*, et graeci in praesenti legunt furor ipsarum ebibit sanguinem meum; ad eam ergo metaphoram alludit Jobus et ita se ait esse a Domino spiritualibus sagittis confosum ut nullus ei maneat spiritus neque vigor. Sicut enim corporeis jaculis exsugitus sanguis, sic etiam spiritualibus telis exsorbentur vires animi et spiritus et vigor deficit virtute superata.

2º, nota praeter eas calamitates externas Jobi quae expresse describit Sacra Scriptura omnino videri postea dupliciter Jobum a Domino spiritualiter exerceri nempe defectu spiritualis vigoris et timoris damnationis aeternae et caetera quidem mala a daemone procurata non solum aequo sed alacri protulit animo sanctus Jobus, sed in eis nondum manus Domini tetigerat eum et aiunt spiritualibus viris dum spiritus vigore a Deo confirmantur et confidentiae lumine illustrantur omnia daemonis tela, sagittas videri parvulorum et ita non est mirum in mediis cruciatibus illos inveniri laetos benedicentes Deum; quantumvis enim crescat flamma super fornacem cubitis 49, angelus tamen Domini spiritualiter descendit et excutit flammam et facit medium fornacis quasi ventum roris flantem, quid ergo mirum eos huius vitae labores constanter currere quos limen confidentiae reddit impavidos et spiritualis vigor confortat, certe nondum in eis suprema patientiae laus elucet quousque virtus infirmitate perficiatur et confidentia in tenebris et pavore roboretur et ita opus erat ut sanctus Jobus exemplar patientiae nobis proponendus sagittis Domini confoderetur quae illius spiritum vel spiritualem vigorem sensibilem ebiberent et ita maneret expositus tristitiae et anxietati et interiorum perturbationum sensui acutissimo (in quo patientiae genere Christus Dominus maxime excelluit) et opus etiam erat ut id quod in Christo Domino reperiri non potuit ob impeccabilitatem et se id perfectionem in sancto Jobo cerneremus quo modo se gerant sancti contra quos terrores Domini militant dum scrupulis excercantur et timore damnationis aeternae. Quid enim aliud timere poterat qui fuerat expertus ultima et ultimum terribilium mortem tanquam remedium malorum unicum anxius exspostulabat.

7. *Numquid rugiet onager etc.* Abrahamus apud Eugubium et Stumica sic exponunt quasi diceret Jobus ad amicos non est mirum vos abesse a fletu et quaerelis, res enim vestrae integrae et salvae sunt, nulla re indigetis, facile est hac ratione non lamentari. Similiter enim nec rudit asinus nec mugit

bos ad praesepe plenum. Sed non cohaeret cum contextu sequenti nisi fallor, opus enim est ut ad eundem pertineat quod sequitur *aut poterit comedi insulsum quod non est sale* etc et ita graeci de eodem Jobo utrumque versum exponunt quasi diceret se non sine causa exclamare et prae angustia cogi non solum insulsum sed etiam laetiferum cibum edere, [f.14] id quod ego, ut cohaereat contextus, de mortis desiderio interpretandum existimo. Qui enim mortis desiderio quam antea neque cogitatione attigerat prae angustia se consolatur et quasi sustentat nonne iste insulsum et letalem cibum devorat. Vide ergo quam bene deducatur orationis filum, ait enim Jobus se non sine causa conqueri, quia nec bruta frustra conqueruntur, et ut probet se in magna calamitate versari subdit insulsum et letalem cibum quem omnes perhorrescunt eum se vehementer appetere id est valde se optare mortem a cuius etiam cogitatione alioqui abstineret.

8. *Solvat manum suam et succidat me.* Optime Stumica.

9. *Nec contradicam sermonibus sancti.* Titelmanus⁵⁶ exponit quasi diceret si me interficere voluerit non obmurmurabo decretis eius. Stumica, quasi diceret non resistam precibus. Verum attendendo ad spiritualem Jobi tempestatem qua jactabatur et submergi timeret, aptius fortasse fuerit ut dum mortem optat tanquam unicum calamitatis portum, addat quod ea tantum ratione securus erit a metu contradicendi decretis Dei, id quod optime cadit, sive an hactenus contradixisset dubitaverit sive non dubitarit vel, si juxta graecos contradicere sermonibus ponitur pro violare praecepta sublatis etiam scrupulis id optabile reperiunt in morte viri sancti quod sperant se post eam iam non peccaturos et ita verisimile est Jobum dicere solvat manum suam et succidat me et iam amplius non peccabo.

10. *Aut quis finis meus ut patienter agam.* Optime Titelmanus⁵⁷ de termino dolorum, et optime etiam prosequitur paraphrasim usque ad finem capitis sequutus nostram lectionem quam liberius hic quam par esset repraesentat Eugubus ut textum accommodet illi explicationi hebraeorum in qua multae formae eandem sequuntur allegoriam torrentis hiemalis et ab Eugubio desumpsit fere explicationem Stumica, sed eam ego aptare nescio nostrae lectioni a qua non licet discedere.

Caput 7

1. *Militia etc super terram et sicut dies mercenarii dies eius.* Videtur vi doloris abreptus Job disputationem cum Eliphato relinquere et ad lamentandum converti. Porro hanc methaphoram militiae et mercenarii ad brevitatem humanae vitae referunt hebraei apud Eugubium, graeci vero aerumnas om-

⁵⁶ TITELMANUS, *Elucidatio in l. Job, c.6.* Parisiis 1547, f.49v.

⁵⁷ IDEM, *Ibidem.*

nium mortalium, Chrysostomus⁵⁸ videtur utrumque sensum coniungere, alii vero non tam significari credunt quid omnibus hominibus contingat quam quomodo se gerant iusti in hac vita tanquam in militia et magno desiderio anhelando ad quietem et mercedem aeternae retributionis quem sensum posuit in sua paraphrasi Titelmanus⁵⁹. Verum multo aptius videtur ut sicut in sequentibus non de iustis neque de caeteris hominibus sed de se solum loquitur Jobus, sic etiam in praesenti id quod facile erit si nomine hominis designet se ipsum, ut saepe contingit, eo modo quo Christus in Evangelio se ipsum appellat dum dicit Filium Hominis. Et certe de Jobo intelligeremus omnes si hispanice diceret está hombre de manera que ya no es su vida sino una cruel batalla y un deseo de que venga la muerte como desea la noche el cavador.

2. *Sicut servus desiderat etc et sicut mercenarius etc.* Haec etiam verba plerique accipiunt [f.14v]quasi descriptionem humanae vitae aut saltem sanctorum vitae. Sed attente legenti non potest esse dubium quin de se ipso tantummodo loquatur Jobus quia haec est comparatio quae absolvitur versu sequenti et omnino debet hac ratione construi sicut servus desiderat sic et ego etc. Porro per umbram intellige solis occasum ut de servo et mercenario laborante sermo sit, et sensus erit sicut illi anxie exspectant finem diei ut liceat cesare a labore sic Jobum optare finem vitae et non solum optare per diem sed etiam per menses integros, idque sine intermissione tam de die quam de nocte. Appellat vero menses vacuos id est sine fructu sine desiderii eventu sicut agricolae vacuum annum dicunt in quo non colligunt fructum etc.

3. *si dormiero dicam quando consurgam* id est, si me de nocte ad dormiendum colligam totam eam in lucis desiderio traduco insomnem, nisi fortasse significet ipsum etiam somnum adeo esse inquietum et trepidantem ut inter dormiendum aurorae desiderio identidem pulsetur.

Porro de *sordibus pulveris*, vere Eugubius, et nota sub exterioris spectaculi miseranda facie forte interiores animae miserias significari nempe vermes conscientiae. Sordes et squalorem luctus et tristitiae excitantis contractionem quasi diceret talem se animum gerere quale apparebat corpus.

4. *Dies mei velocius transierunt quam a texente etc.* legenti contextum evidens erit Jobum quasi iam animam ageret iis verbis valde lamentari quod tam brevi adveniat mors et quod ad inferos sit descensurus unde ei amplius non liceat ad superos reverti, et ita deprecatur mortem et postulat supplex a periculo liberari et vitam proferri.

Sed objicies: has quaerelas et deprecationes indignas videri gravitate Jobi praesertim postquam tantis malis oppresus fuerat cum externis, tum internis, et deinde non videtur cohaerere ut qui tam anxius spectabat mortem ut uni-

⁵⁸ J. CHRYSOSTOMUS, *Fragmenta in beatum Job*, c.7. PG 64,595.

⁵⁹ TITELMANUS, *Elucidio in l. Job*, c.7. Parisiis 1547, f.52.

cum salutis portum nunc advenientem adeo perhorrescat, maxime cum paulo supra et paulo infra adeo disertis verbis dicat quis det ut veniat petitio mea et qui cepit ipse me conterat, sicut servus desiderat umbram elegit suspendium anima mea et mortem ossa mea.

Respondeo eo ipso quod Jobus in propria relinquit quietus infirmitate sine solito spiritus vigore ut eius virtus magis perficiatur consequens esse ut in se experiatur contrarios affectus magna cum vehementia et modo optet mortem modo valde perhorrescat et iterum anxius postulet et statim eius adventu perterritus miserrime conqueratur; et tantum abest ut in harum perturbationum sensu recta ratio inveniat impatientiae notam sive aliquid viro forti indignum ut potius perfectae patientiae gloria et summa animi fortitudo vix aut ne vix quidem eluceat nisi in hac sensus infirmitate, ut latius attendi dum passionem Christi explicarem.

Sed dices: quamvis non sit fortitudinis decus suam experiri infirmitatem saltem non esse valde gloriosum eam verbis ostendere. Respondeo in hac infirmi affectus manifestatione abscondi tam esse confidentiam et simplicem cum Deo amicitiam. Vide c.3, v.9. cum ergo videretur Jobo mors appropinquare quam antea concupierat, coepit vehementer pavere et cum Deo [f.15] quodammodo expostulare quod tam cito ipsi tela vitae succedatur. Sive quod eius vita velocius transierit quam instrumentum textoris et quod iam nulla ei supersit huius vitae spes. Precatur ergo Deum ut suam omnipotentiam in proroganda ei vita et restituenda salute ostendat et, ut eum inclinet, obsecrat ut meminerit vitam sibi evolasse velociorem vento et quasi iam iam moriturus lamentatur quod nec sit visurus aliquid nec ab aliquo videndus et ait *oculi tui in me et non subsistam* id est si morior convertes oculos tuos ut me videas et iam nusquam comparebo.

5. *Numquid mare ego sum aut cetus quia circumdedisti me carcere.* Eugubus non videtur referre carceris custodiam ad mare sed ad cetum. Sic enim exponit: sum ego mare vastum latissimum capax omnium tempestatum capax vexationum ut tantis me procellis obruere velis, et sumne ego bellua inmanis fortis dura obsistens ut tanto apparatu me capere velis ne subterfugiam clades tuas? Simplicius tamen est cum reliquis interpretibus intelligere tam mare quam cetum carceribus esse inclusa et hunc etiam sensum proculdubio sequeretur Eugubus si videret quomodo efficiat aptum contextum neque enim omnes facile advertunt quo carcere includatur Jobus et cur comparatio magis sumatur a mari et ceto quam ab iis quae proprie carceribus includuntur. Multi bene ostendunt ex Sacra Scriptura phrasi mare esse intra carcerem id est divino praecepto impeditum ne ulterius progrediatur. Sed nisi fallor deberent ipsi ulterius progredi.

Dico ergo aptissimam esse comparisonem ad mare et ad cetum sicut enim mare suis fluctibus sine intermissione magno aestu commovetur et sicut eis-

dem procellis magno praesertim pisces perpetuo obruuntur et verberantur et nec mare nec pisces posunt sua claustra egredi et in terra se tantillum recipere et ab illa terribili lucta quiescere sed quasi necessariis vinculis in loco pugnae detinentur et bellum continuare coguntur ita sanctus Jobus veluti mare ex semetipso aestuans et secum ipse pugnans aut saltem velut cete asiduis fluctibus obrutus intra illas procellas videbatur necessitate quadam fluctuare ut sicut a se ipso fugere non poterat sic neque tempestatem effugere neque extra undas tantillum respirare.

Quod vero non cuivis pisci se comparet sed ceto, id est magnae belluae, vel id propterea est quod procellae magis facessunt magnis piscibus quam parvis sicut venti inter arbores, vel quod accommodatius erat considerata corporis quantitate hominem magnae belluae quam pisciculo comparare

praesertim cum cetus gerat quodammodo in mari principatum sicut homo in terra.

6. *Elegit suspendium anima mea* etc. Iterum cogitur optare mortem et ossa dixit ut significaret quod ea tantum superessent carne assumpta et in eadem sententia addit desperavi nequaquam ultra iam vivam, id est abjeci iam vivendi voluntatem nolo amplius vivere et hactenus mortis desiderium explicavit quod eum detrudebant angustiae et dolores, [f.15v] deinceps vero considerato earum afflictionum auctore scilicet Deo admiratus quod Deus contra rem nihili tam serio pugnet et ait

7. *Parce mihi nihil enim* etc, id est, dimitte me obsecro Domine et ne meam affligas vitam non enim decet tuam majestatem contra rem nihili tuam ostendere potentiam. Hunc esse sensum satis ostendit contextus et multa quae postea in eandem sententiam dicit *quid est homo* quasi diceret quis sum ego ut mei habeas rationem et digneris me ad certamen veluti provocare *quién soy yo para que Vos hagais caudal de mí y me desafiéis, no me viene bien tanta honra.*

Visitas eum diluculo et subito probas illum, madrugais a visitarme con guerra y tormenta, y aun madrugais para cogermi desapercibido quasi cum valde potente bellum gereres et oporteret artibus illudere me. Vide supra n° 1, ubi nomen hominis designat Jobum.

8. *Usquequo non parcis mihi*, id est quousque tandem non dimittes me sive quando iam tantisper cessare permittes et locum dabis saltem glutiendi salivam et tantillum respirandi; anxiebatur vero scrupulis et terroribus et ita subdit *peccavi*, eia fateor me peccasse, *quid faciam tibi, quid faciam miser.* Sed non videtur cohaerere quod sequitur

Quare posuisti me contrarium tibi nempe veluti scopum tuarum sagittarum et in quem totus impetus tuus impressionem facit. Non inquam videtur cohaerere si enim agnoscit se id propter peccata mereri quomodo interrogat *quare posuisti*

me etc. Respondeo Jobum quidem se agnoscere peccatorem sed nihilominus obsecrare ut non permittatur adeo vexari scrupulis ut sibi videatur cum Deo bellum gerere quasi diceret agnosco me graviter peccasse sed paratus sum quodcumque juseris facere et ita non est quod me tanquam inimicum tractes, sed potius debes me a mea mundare iniquitate et tandem ut Dei majestatem ad misericordiam inclinet suam proponit extremam miseriam et ait se animam agere prae afflictione et paucas horas sibi superesse nam afflictis et tribulatis faciliorem se Deus praebet in remittendis peccatis juxta Ecli 2 *quoniam pius et misericors est et remittit in die tribulationis peccata*, vel fortasse ut cito afferatur remedium clamat se in extremis esse etsi tantillum differatur iam sero asserendum.

Caput 8

1. *Spiritus multiplex*. Eugubus est verbosus multa vera et falsa congerens, indignans magnum, spirans, superbe et arroganter loquens contra Deum.

2. *Supplantat* id est, depravat pervertit quasi diceret Dios no arma zancadilla a la justicia.

3. *Deus dimisit eos* id est, ejecit eos fugavit, pepulit, exauris, occidit coholor del mundo *in manu iniquitatis suae*, por manos de sus pecados quasi diceret ipsorum peccata fuisse carnifices vel dimisit eos in manu iniquitatis suae id est tradidit eos in desideria [f.16] cordis eorum.

4. *Hesterni quippe sumus* id est nuper nati, ayer nacimos.

5. *Numquid vivere potest corpus sine aqua*. Hoc exemplo probat impietatem non posse diu subsistere.

6. *Non ei placebit vecordia sua*, id est non Deo placebi vecordia illius vel ipsi impio displicebit vecordia sua, dabit enim poenas et tunc agnoscet quam amarum sit dereliquisse Dominum.

7. *Innitetur super domum suam* etc. Optime Titelmanus⁶⁰.

8. *Humectus videtur ante quam veniat sol* etc. ab hoc versu usque ad 19 dicuntur hebraea esse valde ambigua et posse comparisonem et in virum bonum et in sceleratum accommodari. In sceleratum si sermo sit de planta quae post viridem apparentiam facile arescit, et in virum bonum si sermo sit de ligno plantatus secus decursus aquarum. 70 evidenter interpretantur de viro iniquo, hebraei vero apud Eugubum de viro bono. Quae explicatio magis placet Stumicae et pro comperto asserit eam fuisse sequutum nostrum interpretem vulgatum. Ego vero prorsus nescio quomodo contextus noster id ferat nam hactenus clare loquebetur de hypocrita et impio et adduxerat comparisonem cipri absque humore nascentis et carecti sine aqua et continuato sermone ait *humectus videtur ante quam* etc quomodo ergo dubitari potest adhuc agi de eodem impio vel hypocrita.

⁶⁰ TITELMANUS, *Elucidatio in l.Job, c.8*. Parisiis 1547, f.57v.

Certe constructionis sequentis difficultas videtur Stumicam longe a vero abduxisse. Fateor quam locum esse difficilem sed difficilior est in sensu Stumicae, et potius faterer me non intelligere quam ad virum bonum transferri posse sermonem: deinde constructionis difficultas fortasse hac ratione superatur si sensus sit dictum carectum vel circumpunctum antequam solis ardore torreatur non omnino absque humore apparere dum primum egreditur eius germen sed postea vires suas excrecente sole adeo radices illius exsicari ut eorum capita maneant quodammodo petra duriores et possint inter lapides projici et computari, sol enim absorbendo quicquid humoris reliquum erat misero carecto in loco suo non deinceps agit cum eo quasi cum planta sed quasi cum lapide ac si nulla ratione sibi notum esset neque propterea solem contristari sed potius gaudere et ludere dum quasdam plantas omnino desiccat et perdit et alias facit loco earum germinare. Sub qua allegoria intelligitur impiorum vitam aliquando videri in principio floridam antequam divini iudicii severitatem experiantur sed postea daemon illos indurari et exsicari et in morem petrarum omni felicitatis humore et omni virendi spe consumptis non iam agnoscere Dei benevolentiam sed contra illos pronuntiari illa horribilia: *non novi vos* nec ob id Deum contristari aut dolere sed potius in eo divinam providentiam delectari dum quosdam male perdit ut eorum felicitatem ad alios transferat non quod Deus simplicem et justum projiciat neque malignis faveat conatibus sed quod pro peccatis [f.16v] merito puniat et pro sua benignitate cui vult faveat in bonum.

9. *Donec impleatur risu os tuum* etc. qui oderunt te induentur confusione. In quibusdam codicibus aliter distinguuntur textus, nempe Deus non porriget manum malignis donec impleatur risu os tuum et deinde *qui oderunt te induentur* etc sed si quis tantisper attendat facile videbit quod *ly donec* non pendere ex praecedentibus sed novam incipere sententiam. Videtur igitur Baldad magnam promittere Jobo felicitatem si ad Deum convertatur supplex, et ita fere interpretes exponunt iuxta id quod supra dixerat *si mundus et rectus incesseris peccatum etc in tantum ut priora tua fuerint parva et etc* non tamen video quomodo in hoc sensu cohaereat contextus cum immediate praecedentibus nec quomodo idem sit conditionaliter dicere *implebitur risu os tuum* si rectus incesseris et sine conditione *donec impleatur risu os tuum*. Quare suspicor secundam personam ut fere semper contingit in familiari sermone pro tertia poni, cum enim dixisset *Deum numquam projicere simplicem neque porrigere* etc optime cohaeret ut in eadem comparatione simplicis et malignorum perseveret et dicat hos *indui confusione* dum os illius impletur risu et ita graeci in 3^a persona legunt veracius os implebit risu, inimici autem ipsorum induentur confusionem et ex constitutione Sixti V constat graecorum lectionem magnam habere auctoritatem ad explicandam nostram lectionem

loco paraphrasis et certe in sermone familiari postquam dixeris impios cum sumtibus bellum gerere, perinde est sive dicas y mientras el uno ríe han de llorar los otros sive dicas y mientras vos reis han de llorar vuestros enemigos, saepe enim ponitur 1^a aut 2^a persona loco 3^a exempli gratia sed 1^a fere in adversis et 2^a in prosperis.

Caput 9

1. Objecerat Baldad Jobo arrogantiam contra Deum et divini iudicii aequitatem defendebat; ad haec ergo respondet Jobus se probe nosse quam sit stultum hominem cum Deo de iustitia contendere et ita se numquam tale quid cogitasse, novit enim se non posse respondere unum pro mille et praeterea novit infinitam esse sapientiam et potentiam Dei atque adeo stultum esse homunculum divinam majestatem provocare.

2. *Qui transtulit montes*. Optime hoc Stumica interpretatur accidisse in diluvio. Sed quod sequitur: *et nescierunt hi quos subvertit*, suspicor sic esse explicandum quae se quedaron por necios.

3. *Qui commovet terram de loco suo*. Opinionem seu potius artificiosam cogitationem Copernici de motu terrae conatur Stumica hoc loco confirmare et alioqui ait [f.17] non ita feliciter locum explicari. Ridiculum sane nam nec Copernicus putavit illud esse verum sed solum deservire ad rerum apparentium computationem. Aptius multo explicatur iuxta usitatam Sacrae Scripturae phrasim ut Ps 17 *commota est et contremuit* etc. notum est etiam illud poetae *nutu tremefecit Olimpum*, et phrasis ipsa *commovere terram de loco* non tam deservit motui circulari quam tremori, et si Copernici positio esset vera et eam hic Sacra Scriptura confirmaret valde laborandum esset, ut concutio trium columnarum terrae ei accommodaremus quam in terrae tremore; iisdem paene verbis legimus aptissime Ps 17 [8] *fundamenta montium* etc nam et nomen hebraeum pro quo noster columnas reddidit fundamenta significat ut docet Eugubus.

4. *Qui praecipit soli et non oritur et stellas claudit quasi sub signaculo*. Stumica interpretatur de noctium et dierum vicisitudine sed multo aptius Caldeus paraphrasi de nubibus in coelo concitis et videtur horridam tempestatem describere quae lucem eripiat neque posit dijudicari an de die vel de nocte contingat et terra tremat et omnia conturbentur. Porro *coeli enarrant gloriam Dei*, tanquam liber optimis descriptis characteribus sed interim dum coelum quasi sub signaculo clauditur epistola est clausa et obsignata.

5. *Qui extendit coelos solus*. Plerique de coelorum creatione explicant iuxta id Ps 103[2] *extendens coelum sicut pellem*. Nam et alioqui hebraice vocatur coelum expansum seu extensum, sed valde suspicor in praesenti perseverare Jobum in descriptione tempestatis et explicare quomodo obsig-

nentur stellae vel obducendo nubibus coelum, entoldando el cielo, sequitur enim *et graditur super fluctus maris*. Quod omnino pertinet ad tempestatis commotionem et ostensionem potestatis in fluctibus. Ergo se echa de ver que anda Dios allí, ut ergo cohaereat utraque pars huius versus inter se et cum superioribus quando ait *qui extendit coelos solus* nomine coelorum intelligere posumus hic expansionem nubium, neque enim coelum semper superiorem illam solidam regionem designat sed saepe inferiorem aeris aut nubium ut cum volucres coeli nominantur et cataractae coeli et prohibitae pluviae de coelo dicuntur. Dominus etiam dicitur tonare de coelo et coeli ac nubes dicuntur pluviam destilare, non erit ergo alienum a Sacrae Scripturae phrasi ut coelorum extensio significet nubium expansionem, et facit quod dictio *samayin* quae hic ponitur et significat coelos sonat idem quod ibi aquae ut habetur in Thesauro Pagnini, et extensio multo magis convenit in nubes quam in solidum coelum.

6. *Qui facit Arcturum* etc. adhuc perseverat in tempestatis descriptione seu potius in explicando divino numine quod elucet in tempestate, omnes enim stellae seu sidera de quibus sigillatim meminì sunt pluvialia et solent commovere tempestatem ut aliud agens refert Stumica quasi diceret Deum esse tempestatis auctorem et si quae sidera videantur imbres et pluvias cogere et fluctus maris commovere haec omnia esse instrumenta et ab illo pendere tanquam a Creatore et gubernatore, atque ita subdit in his et in coeteris omnibus prodigiis quae vel spectamus vel audimus quicquid est admirabile, in Deum tanquam in unicum auctorem conferendum. Porro per interiora austri sidera intelliguntur quae solum [f.17v] in australi parte apparent, aut quia de imbris erat sermo et solent illae ab australi parte de vento procedere fortasse hac periphrasi designavit quicquid est in australi parte quod habeat eam virtutem cogendi pluviam.

7. *Si venerit ad me non videbo eum, si abierit non intelligam*. Stumica interpretatur iuxta illam alteram sententiam *nescit homo an odio vel amore dignus sit*. Si venerit, id est si mihi benevolus adfuerit. Et si abierit, id est si a me abalienatus fuerit; haec Stumica. Titelmanus⁶¹ aliter de invisibili Dei operatione quasi diceret sive adsit operando aliquid in nobis de novo sive absit ab illa operatione cessando, non tamen sensu, imo nec intellectu, illum vel accedentem vel recedentem percipimus. Haec ille. Verum ut contextus cohaereat oportet ob oculos ponamus eam sententiam in cuius probatione et amplificatione versatur Jobus, ea vero est stultum esse cum Deo contendere de justicia et hactenus id probavit ex consideratione iustitiae, sapientiae et potentiae Dei; nunc vero ex occulto Dei iudicio nescit homo an ei propitium adsit numen aut procul sit, id est ab eo abalienatum, id est nescit an signa

⁶¹ TITELMANUS, *Elucidatio in l. Job, c.9.* arisiis 1547, f.60v.

quae conspicit sint eius numinis accedentis atque propitii vel recedentis et indignati et ita stultum est divinum velle accusare numen aut cum eo velle contendere, vel aliter nescit an Deus tanquam praesens iudex rigidus inquirat et in jus vocet et severe animadvertat, an tanquam absens dissimulet atque coniveat et fortasse sumitur metaphora ab astutis aliquibus iudicibus qui dissimulato habitu tacite se inter plebem insinuant ut posint oculati esse testes eorum quae ad eos deseruntur, in qua metaphora non est necesse sigillatim accommodare recessus atque accessus nomina sed id quod facit illos iudices tremendos dum nemo securus est an propriis oculis hauserint veritatem.

8. *Si repente interroguet quis respondebit ei vel quis dicere potest cur ita facis*, et prosequitur stultum esse cum Deo contendere, nam si velit severe cum aliquo agere et ab eo confessionem extorquere nullus erit qui non tremat et conturbetur neque erit qui posit eum accusare quod ita procedat.

9. *Deus cuius irae nemo potest resistere et sub quo curvantur qui portant orbem*. Adhuc perseverat in amplificatione supradictae sententiae nempe stultum esse cum Deo contendere, atque id modo probat, quia si quis ausus fuerit se iustificare apud Deum provocabit contra se iram illius a cuius impetu nullis armis defensoriis securus esse poterit; porro *portantes orbem* Lyra cum aliis angelos intelligit id quod nonnulli ad coelorum motum accommodant, alii ad gubernationem universi orbis et machinae mundi, sunt enim administratorii spiritus et portare est moderari et gubernare iuxta id ad Hebraeos 1[3] *portans omnia verbo virtuti suae*, et in hoc sensu incurvari erit tremere et humiliari nam et potestates coram Deo tremere quotidie canimus. Stumica *portantes orbem* interpretatur reges et principes [f.18] propter gubernationem, propter eam enim solent magni monarchae orbem in manibus gerentes depingi vel etiam pede prementes, in quo sensu erit curvari dejici et prosterni. Has supradictas explicationes irridet Eugubus et existimat manifestissime sermonem esse de arrogantibus superbissimis quasi gigantibus et quos nos legimus *portantes orbem* ait hebraice appellari auxiliantes fortiter nempe robustos viribus prepotentes, et caldeum de impiis interpretari. Certe graeci de superbis exponunt, aiunt enim hoc sermone significari Deum superbis detrahere supercilium et licet 70⁶² non legant *portantes orbem* sed *ceti sub coelo* hoc tamen ad eundem sensum derivant intelligentes superbiam depingi per haec vasta et superba animalia, et Symmacus legit sub ipso incurvantur qui nituntur arroganter, nam eadem vox *rahals* significat fortitudinem arrogantiam et superbiam quam noster transfert orbem. Perpende an nostra lectio posit etiam in eodem accipi sensu iuxta illam vulgarem phrasim in qua hacer la rueda est superbe se gerere nam eandem vim continet vox graeca *alazoneia* apud Symmacum. Si de gigantibus sermo sit forte sensus erit eos

⁶² ORIGENES, EXAPLORUM, SEPTUAGINTA, *Iob c.9,13*. PG 16,546.

qui ita valeant viribus ut videantur humeris orbem portare posse et cetum sustinere velut alter Atlas eos divini supplicii graviter incurvari quasi sub onere et gemere. Si enim Deus se gravem ostendat quis eius gravitatem ferre poterit. Equidem apte pingitur Christophorum inmanis gigas et qui magnum orbem saxum facili negotio portabat secum, cum Deus vel etiam sub pueri forma insedit humeris adeo fuisse illius gravitate incurvatus ut toto corpore sudans et anhelans cum puero conquestus sit, quid si non illi in facie amici pueri apparuisset sed in facie numinis irati.

10. *Et cum invocantem exaudierit me* etc. omitto quaedam quorum contextu facilis. Hunc autem versum sic exponit Eugubus: si clamavero et visus fuerit mihi respondisse, non tamen credam eum esse quia incredibile apparet summam majestatem flectere se ad homunculi vocem et subdit hoc ideo dixisse Jobum quia saepe propter atroces plagas dubitavit an Deo esset curae. Desumpsit hoc ex rabi Moise et consentire videtur auctor bibliae Roberti. Iam tamen hoc impugnatum est supra, c.3, n.1, ubi a calumniis iudaeorum liberavimus Jobum et certe non est minima inter illas dubitationem illi tribuere de Dei providentia. Aliter ergo Stumica et Titelmanus⁶³ inferentes ex hoc loco non posse nos esse certos amicitiam nobis esse cum Deo vel nostras orationes ab eo exaudiri quia numquam scimus an cum suficiente humilitate contritione et affectu orationem fuderimus coram Deo ut ab eo exaudiri mereamur. Verum considerato contextu existimo non tractare Jobum in praesenti quid omnibus orantibus sed solum quid sibi contingat et ideo dicere se non credere quod sit exauditus quia spirituali tempestate iactatus fluctuare cogitur et ita dubitare an Deus benevole eius preces audiat aut potius iratus rejiciat; [f.18v] nam si de omnium orantium incertitudine ageret Jobus, non posset amplius dicere quoniam eos non esse certos de fide quod a Deo exaudiantur, sed quamvis non habeant certitudinem fidei multi tamen habent certitudinem moralem ob multa verisimilia signa et conjecturas, et haec certitudo moralis sat est ad hoc ut absolute credant se esse exauditos et cum Deo familiariter agant, ergo non omnes possunt dicere quod Jobus *cum invocantem exaudierit me non credo quod audierit vocem meam*.

Sensus ergo verborum Jobi est huiusmodi: adeo premor malis et interiori afflictione ut quamvis fortasse a Deo exaudiar et benevole accipiar adeo tamen id me lateat ut hac prorsus dubitatione maxime crucier. Cum quo sensu aptissime cohaeret quod sequitur *in turbine enim conteret me*, id est conterit et multiplicabit, id est multiplicat vulnera mea sine causa. Ubi turbo spiritualem tempestatem designat, et illud *sine causa* est ac si diceret sin saber yo de nuevo por qué. Cum ergo in superioribus explicasset Jobus stultum esse cum Deo contendere subdit modo quam sit ipse peculiariter ad eam conten-

⁶³ TITELMANUS, *Elucidatio in l. Job, c.9. arisiis 1547, f.61v.*

tionem sive disputationem ineptus, quasi diceret pues bonito estoy yo ahora para eso.

Neque enim concedit, sinit requiescere spiritum meum, sed me amaritudinibus complet, id est pavido consternato. Aegritudinibus redundantibus non datur respirandi locus nedum disputandi, praeter quam quod agnosco Dei fortitudinem, aequitatem et me esse miserum peccatorem unde nihil minus cogito quam cum Deo contendere de iustitia praesertim cum a Deo premor malis, ut etiam si justus sim et simplex hoc ipsum ignoret anima mea et potius mirum in modum scrupulis angar ut me ipsius vitae taedeat.

11. *Unum est quod loquutus sum et innocentem et impium ipse consummit*, quasi diceret visus sum vobis cum Deo contendere et eius accusare iustitiam ut meam defendam; ego contra ostendi me probe nosse quam sit stultum eiusmodi certamen et quam sim ego non solum ab huiusmodi ignorantia sed etiam ab ea cogitatione alienus cum neque respirare liceat quare unum est quod loquutus sum, una cosa es la que yo decía y ahora torno a decir, bien diferente de la que vosotros me culpais. Et hoc unum mihi superest solamen non solum impios consummi a Deo sed etiam innocentes, in quo non Deum accuso sed eius providentiam hoc ferre dico et cum me anteactae vitae innocentia consolarer audebam et audeo suplex petere ut si flagellat occidat semel et non de poenis innocentum rideat, id est ut brevi me morte expediat et nom patiatur tam longo torqueri cruciatu neque permittat videri se in afflictione iustorum delectari et ideo protrahere. Certe ita est Deum iustorum patientia delectari et ideo protrahere mortem et cruciatus, in quo maximo eos devincit beneficio, sed nihilominus iusti possunt in has erumpere quaerelas, et iis etiam delectatur Deus. Vide dicta c.3 n.9. atque ut aptior sit quaerela infra non ait Jobus Deum delectari patientia sed confidentia [f.19] et amanter expostulat quod delectetur poenis innocentum. Multo aliter Eugubus hos versus explicat sed discedit a nostra littera audatius quam par esset.

12. *Terra data est in manus impii, vultum iudicum eius operit; quod si non ille est quis ergo est*. Stumica interpretatur quasi diceret iniquitate et improbitate regum et eorum qui rempublicam administrant fieri ut eadem atque adeo deteriori conditione sunt boni quam mali nam mente capti nesciunt in honoribus mandandis inter probos et improbos distinguere. Hanc dicit esse sententiam et hoc modo ordinat: *terra data est* etc id est propter peccatum parentis primi mundus traditus est in daemonis potestatem et ideo melius cum sceleratis quam bonis agitur quod ut consequatur daemon velat oculos eorum qui rempublicam capessunt ut non praeferant in honoribus meliores, quis enim ergo alius nisi daemon hoc efficere potest. Similiter fere Eugubus daemones ait tenere mundum et in eo dominari et terram nutrire caecos iudices et alere monstra, id est corruptissimos reges sive tyrannos oculos in recto

avertentes in quorum manus traduntur iusti naque alium esse auctorem huius mali tanti auctorem nisi daemonem.

Olympiodorus⁶⁴ in Catena aliter: iustos tradi in manus daemonis ut probentur, et peccatum iudicantium subterfugere cognitionem cum simulationum artificio iustitiam saepenumero mentiatur. Ita nullum peccati expertem quod nisi veterator esset haud magnus existeret. Aliter Policronius: eorum qui audacius divinae irae aequitatem prospicere conantur facies cooperiri, id est acri eius rei cognitioni tenebras prorsus offundi et quem esse horum omnium auctorem si non is est (Deum videtur intelligere).

Dico 1^o: varias et lubricas huius loci explicationes ostendere satis eius difficultatem, praesertim cum fateatur Olympiodorus occultius Jobum haec ipsa in mediam disputationem coniecisse et rursus ad sua revocare orationem in quo manifeste se nescire quomodo cum subsequentibus et praecedentibus cohaereat, et certe dum Stumicam vel alium interpretem hic lego, valde miror quam videantur obliti eius sermonis quem Jobus continuabat.

Dico 2^o: Fortasse per iudices accipi posse in praesenti amicos Jobi quibus cum disputabat, vel quod essent reges, ut supra, vel quod in illa Jobi calamitate iudicium suum interponerent et eum veluti reum condemnarent, neque enim loqueretur Jobus extra rem *terra data est in manus impii*, id est in meis calamitatibus apparet quantam exerceat tyrannidem in mundo daemon et *vultum iudicum ejus operit* id est nec solum per se me vexat sed etiam velando oculos eorum qui tanquam iudices terrae interponunt in hac causa iudicium suum.

Quod si non ille est quis ergo est, id est quis enim huius calumniae auctor est nisi daemon.

Dico etiam 3^o: apte etiam explicari posse fortasse locum in hunc modum: bene apparet terram traditam esse in daemonis potestatem et operit terra vultum iudicum suorum id est non potest diiudicari an veri iudices, Deus vel angeli sint erga me vultu irato an potius benigno.

Quod si non ille est etc, quasi diceret incerti sumus et quasi divinare cogimur an vultus Dei sit iste vel ille erga nos, andamos adivinando si es éste o aquel, si está enojado o amigo.

13. *Dies mei velocius fuerunt cursore*. Si praecedens versus iuxta ultimam explicationem pertineat ad angustiam animi ostendendam, optime cohaeret ut nunc in eiusdem angustiae descriptione persistat et dicat primum sibi videri mortem immaturam citissime advenisse [f.19v] antequam huius vitae bonis frui ei licuisset, et tunc conqueri et ejulare statim vero dum conatur eam quaerimoniam compescere et intra se dicere nequaquam ita loquar, vel timens ne conquaerendo Deum offendat tunc daemum dolorum acrimoniam vehementius persentire et cogi faciem commutare id est doloris signa gestu edere et habitu faciei.

⁶⁴ OLYMRUS, *In beatum Job*, c.9. PG 93,123.

14. *Verebar omnia opera mea* etc. Persistit adhuc in exponenda animi sui angustia, quasi diceret por una parte muy escrupuloso y por otra casi desesperado, pareciéndome que es por demás y que así como así me trata Dios como a un...

15. *Si lotus fuero quasi aquis nivis* etc. *tamen sordibus intinges me*. Titelmanus⁶⁵ exponit de iudicio Dei manifestante occulta crimina eius qui iustissimus putabatur. Stumica de iudicio Dei in hac vita dum viros iustos et probos non minus laboribus et doloribus exercet quam si essent sordidissimi peccatores. Neutra tamen cohaeret meo iudicio cum contextu et cum ratione quae subsequitur in qua Jobus anteactae vitae conscientia se consolans optare videtur ad suam defendendam innocentiam ut Deus interim suam deponat maiestatem et non quasi Deus cum homine sed quasi par cum pari disceptet. Cum ergo superiori versu significasset Jobus se velut impium accipi a Deo consequens erat ut explicaret an se vere existimare iustum, et tremefactus divinae maiestatis pavore et terrore ait *si lotus fuero aquis niveis* id est si vel candore nivali extitero et purae nitidae quam fuerint mihi manus, id est actiones et opera, si quidquid gesi fuerit iustitiam nihilominus sordibus intinges me id est tuae maiestatis memoria et consideratio ita me facit tremere ut me potius fatear esse sordidum et abominabilem quam tecum audeam disceptare.

Neque enim viro qui similis mei est respondebo, id est si cum Deo disputationem suscipere non par cum pari certarem nec cum eo qui posit in iudicio mecum ex equo audiri non est qui utrumque valeat arguere et iudicare et ponere manum suam in ambobus, id est potestatem in utrumque exercere nempe in Deum et in me, et ita si velim cum Deo litem gerere non est ad quem ut tanquam ad iudicem accurram, auferret ille a me virgam suam, id est flagellum quo me cruciat et pavor maiestatis illius non me terreret et tunc auderem sine timore loqui, interim enim dum timore concutior quamvis vellem non auderem respondere Deo, id est cum illo disputare.

Porro quod ait *si lotus fuero quasi aquis niveis* intellige de aquis candorem niveum imitantibus id est aquis limpidissimis, alioqui enim aqua ex nive liquefacta fluentem, non videntur aptiores quam cetera ad lavandum et quod ait *abominabuntur me vestimenta mea* intellige quasi diceret fatebor me abominabilem et vestes etiam dicam a meo contactu infici et ita fugere et per externum squalorem interiores [f.20] peccatorum sordes intellige.

Caput 10

1. *Tedet animam meam vitae meae*

Quomodo cohaereat caput hoc cum praecedenti facile est, qui enim se in maxima angustia considerabat et divinae maiestatis potentia deterrebat ne

⁶⁵ TITELMANUS, *Elucidatio in l. Job, c.9*. Parisiis 1547, f.64.

cum eo disceptaret aut suam defenderet innocentiam et interim gravissimis supplicii urgebatur non mirum est quod se ob dolorum, calamitatum quam... acerbiter eo devenisse dicat ut lucis cum taedium iam ceperit et quod effundere velit habenas sermonis et hoc superstite uti perugio quod secum super suis cladibus lamentetur, id enim est quod ait *dimittam adversum me* etc nam ly *adversum me*, accipi debet improprie pro eodem quod super me vel adversum me, id est mecum. Idem enim videtur esse disputare adversus aliquem et cum aliquo.

2. *Dicam Deo, noli* etc. Ecce metum damnationis et interiores animi cruciatus, quamvis fortasse confidenter conquerens apud Deum Jobus. Quod cum videatur inauditum iudicare ait *dicam Deo noli me condemnare*, quasi diceret no me condeneis sin oirme, haced primero los cargos y recibid mis descargos, vel aliter *noli me* etc *indica mihi* etc quasi dicas non mihi vitio veritas non sit mihi damnationi quod audeam a Te exigere ut indices mihi cur me ita iudices.

3. *Et consilium impiorum adiuves*. Stumica interpretatur de illo consilio impiorum quod exprimitur Sap 2[12] *circumveniamus iustum*, et Prov 1[11] *abscondamus tendicula contra insontem*. Verum aptius est ut per impios daemones intelligat destruere volentes Jobum nisi fortasse timeat Jobus ne ex suis calamitatibus confirmetur impii in studio impietatis videntes quam parum profuerit Jobo pietas et religio.

4. *Numquid oculi carnei tibi sunt*, etc. Nempe ut ex his quae foris apparent iudices atque ex adversa fortuna me despicias vel ut hallucineris in iudicando, ita Stumica. Verum aptius videtur ut iste versus pertineat ad eundem sensum qui in sequenti exprimitur, scilicet Deum omnia optime percillere et ita illi non opus esse maiori inquisitione ad noscendum an homo sit iustus vel iniustus, neque enim Deus parum acute cernit aut sicut homines paulatim in veritatis cognitione perficit ut opus ei sit temporis decursu et riguroso examine ad noscendum Jobum et quasi tormentorum ad extorquendam ab eo veritatem.

5. *Et scias quia nihil* etc. Id est ut tibi constet an verum sit me nihil impium fecisse. *Cum sit nemo qui de manu tua posit eruere*, id est defendere in iudicio reum contra quem te iratum ostendis. Aliter videtur Eugubus interpretari, scilicet neminem futurum esse qui eripiat eum cui Deus cladem importat. Sed ut apte cohaereat contextus videtur opus esse ut non sit sermo de eo quem Deus flagellat atque condemnat, sed de eo quem examinat stricto iudicio cui dicit diem et contra quem testes adhibet.

[f.20v]

6. *Memento quod sicut lutum* etc. Tangit hominis creationem e limo, et in ea duo notat: 1, quod sit opificium Dei et ita non contemnendus ab illo.

2, quod sit aliquid omni homini condonandum ab eo qui novit figmentum nostrum et ita fragilitatem nostrae carnis.

7. *Nonne sicut lac mulsisti me et sicut caseum etc*, id est divinae providentiae, ut explicat Chrysostomus⁶⁶, tribuit suam procreationem sive generationem in qua viri semine rationem coaguli cum muliebri coagulato habente commixtio fit sicut casei ex lacte coagulato.

8. *Vitam et misericordiam tribuisti mihi*, id est vitam donasti et multis es beneficiis prosequutus et *visitatio tua custodivit spiritum meum*, id est tua providentia et paterna cura educavit me et conservavit adhuc spiritum meum.

9. *Licet haec celes in corde tuo tamen scio etc*. Hebraice et haec celasti in corde tuo, quod Eugubus cum hebraeis interpretatur cum toto corporis atque animi opificium a te sit profectum ut in hoc indicares tuam erga me benignitatem volueris, cur ex adverso inimicitiam in corde retinuisti dissimulans erga me quod a creatione concepisti odium altera manu panem offerens altera legale ensem abscondens. Verum hic sensus non quadrat nostrae lectioni sed alter simplicior et aptior multo, scilicet licet haec celes in corde tuo, haec scilicet beneficia commemorata, aunque parece que encubris la memoria que de esto teneis, pero bien sé que no os habeis olvidado.

10. *Si peccavi et ad horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris*. Stumica sic interpretatur: si peccatorum a me quondam admissorum poenas repetis cur qui tunc in me non animadvertisti nunc ab iniquitatis pena non pateris me esse liberum. Verum non videtur apta quaerela, alioqui posset eadem uti omnes fere impii; nec enim contra illos statim profertur sententia sed lento gradu procedit ad vindictam divina ira et tarditatem gravitate compensata aptior erit si iustus conqueratur quod admissorum quondam peccatorum et remissorum iam tunc quoad culpam, longo post lo mismo cogatur poenas luere, quamvis enim id ferat ordo divinae providentiae tamen ea est huiusmodi ut prebeat locum humili querela inter amicos. Sed nec iste sensus videtur convenire, quia mundum non esse ab iniquitate non videtur apte referri ad solam poenam sed etiam ad culpae maculam. Quare crediderim Jobum in praesenti admissorum in adolescentia peccatorum stimulos vehementius animum pungentes persentire, et eas uti oratione qua scrupulosus quis aptissime uteretur. Si peccavi quondam et postea visus sum a te veniam criminum impetrasse. Imo si vere impetravi ut suspicor, cur non pateris me nunc impetrata venia frui sed quasi adhuc in eodem coeno et sordibus volutarer quasi non essent eorum peccatorum maculae per poenitentiam expiatae ita mihi obversantur ob oculos et mire cruciantur dum mihi videor tibi adhuc propter illa crimina inimicus, [f.21] et tu mihi videris consumere me velle peccatis adolescentiae meae non solum poenas exigendo a me sed quod multo miserabilius est per eadem ipsa peccata me puniendo, id est per

⁶⁶ J. CHRYSOSTOMUS, *Fragmenta in beatum Job*, c.10,v.10. PG 64,606.

eorum stimulos ita pungiendo et lacerando ut ab eisdem peccatis consummar et excedam et iam prope deficiam.

11. *Et si impius fuero vae mihi est et si iustus non levabo caput saturatus afflictione et miseria.* Omnes fere exponunt quasi per contradictionem diceret. Denique sive impius sim sive pius neutro modo iram tuam effugiam. Sed ut aptius iste versus cum superiori cohaereat adhuc videtur de scrupulorum anxietate loqui quibus dum quis exercetur ad eas redigitur angustias ut prorsus nesciat quo se vertat, si enim succumbat oneri et se impius fateatur vae illi est, ad desperationem enim prope adigitur et impellitur, et si apud se statuat esse iustum non propterea liberatur ab afflictione et miseria nam redintegratur de novo bellum et sibi in eo ipso superbissimum fuisse apparet et eo scrupulo quasi leenae dentibus dilaceratur. Sic enim connecto subsequentem

Et propter superbiam quasi leena capies me reversusque mirabiliter me excrucias. Dixerat *si impius fuero vae mihi est* etc, no sé qué decirme, que si digo que soy malo y enemigo de Dios, ay de mí, y si digo que no soy sino justo, no por eso me faltará mala ventura, que por esta soberbia me torna Dios como un león a coger entre las uZas y a despedazarme ejercitándome en el mismo escrúpulo de mi soberbia, iuxta quam explicationem non lego quasi leena ut habent quaedam manuscripta et notant lovanienses, quamvis quis omnino malit leenam legere ut est magis receptum, apte etiam explicabit quasi dicat propter meam ferocem superbiam, porque me atrevo a tenerme por justo capies me quasi leenam caperes et vinctus constringes ferreis et mirabili ratione cruciabris. Stumica cum non videret quomodo posset Jobus de sua superbia loqui construit sic: et propter superbiam quasi leenam, id est, capies me undique et undique supervenies me sicut venatores leenam capere student propter eius superbiam et ferosiam. Verum simplicior est nostra constructio et eam valde confirmat ipse contextus necnon versus etiam qui sequitur in quo Jobus testes de novo contra se adhiberi conqueritur, quos valde verisimile est conscientiae stimulos esse intelligendos et ita suam miseriam lamentatur et repetit illa verba *quare de vulba eduxiste me* etc, quae iam supra c.3,n.9 etc probavimus ad interiorum tempestatem explicandam pertinere.

12. *Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi, dimitte me,* etc. Multis fuerat Job oppressus doloribus et erumnis et appetere iam videbatur horam mortis post quam diurnas et miseris inferni tenebras expectabat. Petit ergo ut saltem eo brevi intervallo quod ei supererat inter clades quas protulerat et carceres quae [f.21v] eum manebant in eo sineretur plangere solatii loco suam sortem.

Dices: quis eum prohibebat flere. Respondeo interioribus procellis ita esse impeditum beatum Jobum ut non ei vaccet praeterita mala plangere nec futura, sed totus sit in praesenti calamitate, unde id est quod postulat ut cesset iam quod modo instat bellum et sinatur iam perpeccatas clades et imminentem

carceris caliginem plangere tantisper et sat sit hactenus fuisse miserrimum et brevi moriturum ut permittatur respirare interim et flere suam sortem. Hic est sensus meo videri sed nonnullis facessit quod beatus Jobus quem non quivis locus inferiorum et sanctorum proprium carcer manebat appellet eum terram miseriae et nullum ibi esse ordinem dicat sed horrorem sempiternum, et se iturum et non reversurum pronuntietur. Ad haec bene Respondet Stumica.

Sed nota Jobum non distinguere locum sanctorum proprium ab inferno damnatorum tum quia ad suae miseriae propensionem non conducebat tum quia non sat erat certus se esse ex numero electorum praesertim cum damnationis timore maxime concuteretur, ut supra. Si quis vero omnino velit peculiariter locum de damnatorum tartaro intelligere propter verba quibus describit eum Job dicet illum dum anxie postulat ut tantillum liceat sibi suum deflare dolorem damnationis timore perterritus et conscientiae scrupulis perturbatum postulare sibi spatium poenitentiae et lugendorum peccatorum antequam adveniat mors et in aeternam damnationem detrudat impenitentem. Sed magis arridet prima explicatio quia praecedenti magis quadrat et a sequenti Sopharis repraehensione minus dissidet. Non enim videtur verisimile ut tam acerbe mirabatur Sophar in superbiam eius qui poenitentiae spatium postulabat suplex.

Caput 11

1. Contextus facilis est. Vere Stumica. Et nota quae sequuntur: 1°, *et quod multiplex esset lex eius*, crediderim sensum esse huiusmodi: que son tus preceptos más de los que tú pensabas atque adeo y consiguientemente que has quebrantado muchos.

2. *Tu autem firmasti cor tuum et expandisti ad eum manus tuas*. Conditionaliter explicant Eugubus et Stumica, quasi diceret si tú firmares cor tuum etc. sed simplicius est explicare enuntiative, quasi diceret tu obdurasti cor tuum et expandisti manus tuas, quasi diceret por una parte muy pertinaz en tus pecados y por otra ofreciendo a la par sacrificios y oraciones.

3. *Quasi aquarum recordaberis*, quasi diceret acordarte has de los trabajos como de torbellinos o turbión sin miedo ya ni pena.

4. *Defossus securus dormies*. Non habeo quod afferam. Quod mihi satisfaciat, forsam [f.22] quis diceret que se tenderá y hundirá en la cama et in utramque dormiet aurem.

Caput 12

Respondens autem Job dixit.

1. Valde aberrant ab scopo qui huius capituli sententias existimant continere disputationem Jobi contra Sopharem et eius socios cum initio capi-

tis sequentis perspicuis verbis testetur ipse Job haec quae dixerat c.12 ideo dixisse ut ostenderet se non ignorare ea quae illi de divina potentia et sapientia ipsum docebant: *ecce (ait) omnia haec vidit oculus meus et audivit etc et intellexi singula, scientiam vestram ego novi nec inferior vestri sum*, unde non est id quod in praesenti inculcat malis esse bene et bonis male ut putavit Eugubus sed potius in eo versatur ut se in eadem religione et pietate imbutum atque eos esse ostendat ut in quo verbosam ostentationem facerent in eo illum parem esse intelligerent neque amplius ostentatione sapientiae eum oblique et tecte sugillarent.

2. Nihilominus initio conqueritur suam simplicitatem et innocentiam ab amicis irrideri propter calamitatem et se quidem pauperem et afflictum fateatur, illos vero divites et bene habentes. Se vero quantumvis ab eis contemptus conservaturum ait suam lampadem paratam ad tempus viae statutum, id est ad horam mortis, et huius lampadis, nempe fidei lumine se consolaturum. Vide Mt 25, parabolam de virginibus. etc.

3. *Abundant tabernacula predonum*. Hinc meo iudicio incipit ostendere amicis se eadem nosse cum illis de potentia et sapientia Dei. Contextus vero videtur esse huiusmodi: quasi diceret vos putatis me, cum abundarem audacter provocasse Deum non illi accepta ferendo quibus fruebar bonis nec me illi subiiciendo sed impie putando manum meam esse excelsam et non Dominum fecisse haec omnia. Predones ethnici impii ita sentiunt cum abundant, quis vero nostrum ignorat omnia esse ferenda Deo? Certe jumenta ipsa, aves et pisces necnon et ipsa tellus clamare mihi videntur se a Deo esse condita et hominibus donata et ab eius manu dependere semper nostram vitam et spiritum universae carnis.

4. *Nunc auris verba diiudicat et fauces comedentis saporem*, quasi dicat ita hoc sentiri ratione sicut sonus capitur aure et gustus palato et faucibus.

5. *In antiquis est sapientia et in multo tempore prudentia*. Stumica compingit hunc versum cum superiore et credit Jobum in amicorum comparatione iuvenem fuisse, nempe 40 annorum atque adeo dicere hominibus datum esse iudicium a natura ut posint de rebus iudicare quamvis non sint multum aetate provectis sicut etiam juvenum aures sermones audiunt et palatus gustat sapes et ita non esse cur sibi solis assumant sapientiam et dicant in antiquis est sapientia etc, durissima connexio nisi fallor [f.22v] praeter quam quod incredibile apparet ex historia filiorum Jobi ut ipse tunc non excesserit quinquaginta. Eugubus credit nunc Jobum ea ratione probare universa a Deo proficisse et necis et vitae potestatem habere quod omnium antiquorum ea sit sententia in quibus plurimum inesset sapientia propter plurima experimenta et diuturna, sed non cohaeret ut auctoritate sonum probaret et quod dixerat scilicet iumenta ipsa clamare, neque de veritatis confirmatione nunc agitur,

sed in eo versatur ut attendat se nunquam ignorasse quod eum docere volebant et ita verosimilius est si cum ait in antiquis est sapientia etc intelligamus eum suos indicare canos. Que para que creyesen no ignoraba él esa teología siquiera mirasen que era viejo. Si dicamus (quod magis cohaeret cum contextu sequenti) postquam eam philosophiam asseruerat Jobus ita facile ratione percipi sicut sonum auribus, adjicere facilem quandam manuductionem qua Dei sapientiam vel pueri vident esse maximam, nam si in antiquis est sapientia et in multo tempore est prudentia, in eo qui ab aeterno perseverat et omnia intuetur et moderatur quis non videat absolutissimam esse sapientiam. Verum senes et antiqui inter nos licet intelligendi facultate polleant viribus tamen plerumque deficiuntur, Deum vero necesse est ex aequo esse fortem et sapientem, ut qui posit ruinis aeternis aliquam urbem imo orbem evertere, posit homines ligare vinculis numquam dissolvendis et includere etc, posit pluviae fontes flumina compescere quae penitus arescant, posit diluvia inducere terram universam demersura. Omnino ergo in eo vis et omnis inventio.

6. *Ipse novit et decipientem et eum qui decipitur* quasi diceret el que las sabe las... él conoce y menea los trebuchos. Vide Eugubum et Stumicam.

7. *Adducit consiliarios in stultum finem et iudices in stuporem*, quasi diceret que Dios sabe dejar por necios a los grandes consejeros y a los grandes maestros.

Balteum regum dissolvit etc, vide Eugubum.

8. *Commutans labium veracium* id est eloquentes redit elingues et genibus seu generatoribus adimit prudentiam. Caetera satis patent per se.

Caput 13

1. *Ecce omnia haec vidit oculus meus* etc. — 1. Contextus et continuatio huius capituli cum 12 patet per se satis et ex ipsa rationis serie probatur quod c.4 initio late probavimus, scilicet hos reges quibuscum disputat Jobus fuisse sapientes et amicos Dei quorum proinde theologia debet esse in pretio quamvis in opinione de Jobo decepti fuerint.

Sed dices si ita est quomodo Jobus in praesenti eos appellat *fabricatores mendacii* [f.23] et *cultores perversorum dogmatum*. Respondeo ex contextu evidentissime patere haec verba mitius esse accipienda quam prima facie sonare videntur quia si in fide catholica errarent non diceret Job c.12, *et mihi cor est sicut et vobis* etc. quis enim haec quae nosti ignorat et *in praesenti secundum scientiam vestram ego novi* etc, in quo clare testatur se eorum approbare theologiam unde efficitur quando arguit eos mendacii non posse intelligi de errore in fide vel theologia sed de imprudenti opinione circa ipsum Jobum adeo pertinaciter defensa. Vide ergo quomodo ex graeco et hebraeo Eugubus et Stumica emolire conentur asperitatem illius improprii *cultores*

perversorum dogmatum. Mihi satis sit ex contextu ostendisse fieri non posse ut de falsis dogmatibus loquatur Jobus quia in eo sibi contradiceret, quare, si quis omnino velit per dogmata doctrinales propositiones intelligere dicat ipsa vera dogmata appellari perversa cum perverse applicantur ad innocentis calumniam. Simile est id Ciceronis *bene facta male locata, male facta voco.*

2. *Numquid Deus indiget vestro mendacio ut pro illo loquamini dolos,* id est calumnias et falsas accusationes.

3. *Numquid faciem eius accipitis et pro eo iudicare nitimini.* Accipere faciem alicuius in iudicio est quod hispane dicimus hacerle cortesía, id est aliquid tribuere personae, quod equitas iudicii non ferebat; irridet ergo qui velint fraudulentis id est falsis accusationibus sibi conciliare amicitiam eius quem nihil latet quasi posset Deus adulatione capi seu decipi et eiusmodi quasi blanditiis leniri.

4. *Ipse vos arguet quoniam in abscondito faciem eius accipitis.* Illud in abscondito explicat... apud Eugubium, in abscondito in rebus arcanis id est, attribuendo ei arcanam sapientiam et occultum rerum gerendarum modum quasi diceret etiam si eum honoretis in hac causa dicendo sapientiam eius esse arcanam, nihilominus repraehendet vos tanquam imperitos. Subdit etiam Eugubus ab Abraham interpretari abscondita rationes falsas et incertas, ut sit sensus si cum argumentis falsis alienisque honoratis arguet vos. Sed simplicius est in abscondito, id est latenter quasi diceret antes Dios os ha de castigar porque le quereis hacer cortesía en este juicio por una oculta manera desfavoreciendo a la verdad por favorecer a Dios.

5. *Statim ut se commoverit turbabit vos* etc. Titelmanus⁶⁷ observat Jobi intentionem non dirigere tam amarum verbum adversum amicos sed generaliter voluisse terribile Dei iudicium adversus impios describere, et subdit frequens esse in contentiorum fervor ex occasione particulari generalem faciat sermonem, ex re modica magnam subinde concitando tragediam et ex culice elephantum, ut est in proverbio. [f.23v] Quod autem Jobus sub 2^a persona videatur amicos designare quibuscum loquebatur ideo facere ait quod ex occasione falsitatis illorum huiusmodi sermonem contra impios adiungit. Haec ille.

Mihi tamen omnino videtur contextum postulare ut Jobus non de impiis in communi sed de tribus amicis sigillatim loquatur neque possum animo informare quomodo sub 2^a persona apte traducatur sermo ad impios in communi. Quare si cui videatur nimium excedere Jobum dum imprudentem amicorum sermonem adeo grave peccatum iudicat ut eos propter illud in cinerem prodigendos esse pronuntiet meminerit quaeso commotum et exulceratum animum hyperbolice loquendi praebere licentiam et sicut infra *se carnes*

⁶⁷ TITELMANUS, *Elucidatio in I. Job c.13.* Parisiis 1547, f.77v.

suas dentibus lacerare hyperbolice dixit, sic etiam fortasse in praesenti esse intelligendum. Praeter quam quod haec verba non tan sunt asserentis quam commiserantis et praecipientis ut sibi caveant ab eius ira qui statim ut se con-moverit turbabit eos id est que con solo volver el semblante y menear los ojos contra ellos los podría menear de espanto y como un rayo los dejaría hechos ceniza et *memoria vestra comparabitur cineri* id est no quedará de vosotros sino ceniza para memoria de vuestro prado.

Et redigentur in lutum cervices vestrae y vuestros cobrilos quedará por basura. Cervicum seu capitum meminit ut eos capitosos indicaret porfiados y de duros juicios.

6. *Quare lacero carnes meas dentibus, et animam* etc, hac phrasi indicat quot miseriarum adductus sit et ipsa sermonis conversio atque mutatio frequens satis indicat interiores cruciatus, apparet enim agitatum mentem aestuare velut mare et in diversa diffundi et ideo orationem in diversa discursare. Ut ergo cuiusdam veluti desperationis impetum a se depellat omissa amicorum repraehensione ait *quare lacero carnes meas, etiam si occiderit me sperabo in eum.*

Porro *animam in manibus portare* idem videtur quod exponere illam periculo mortis, sicut enim ad securitatem pertinet angelorum manibus portare ita ad periculum portari manibus hominum, apte ergo cohaeret *quare lacero* etc id est cur me quadam veluti rabie et desperatione consummo et animam meam etc id est ea ratione me mortis periculo expono.

Etiam si me occiderit etc. Abrahamus apud Eugubium ponere animam in manibus sentit ad plagas minuendas pertinere; sed nescio quomodo id animo informaverit, nec facit ad contextum. Eugubus ipse credit utrumque ad dilacerationem pertinere quasi diceret quare lacero carnes dentibus et animam manibus dilanio, in quo sensu non opus esset ut alterum proprie ad corpus alterum proprie ad animam pertineat, saepe enim in Sacra Scriptura anima hominis pro ipso homine [f.24] ponitur, et sic exponi solet quod dicitur de Jobo in Ps [104,18] *ferrum pertransit animam eius donec veniret verbum eius*, que le echaron unos grillos o cadena a su persona hasta que se cumplió su profecía. Sed simplicius est ut anima hic vitam designet et portare in manibus periculum mortis iuxta usitatum Sacrae Scripturae phrasim Judicum 12 v3, *quod cernens posui animam meam in manibus meis* etc. Vide 1Regum 28,21, et Ps 118,109.

Quod sequitur, scilicet *etiam si me occiderit* etc bene exponit Stumica.

7. *Verumtamen vias meas in conspectu eius arguam*, id est disputabo de viis meis vobiscum coram eo et *ipse erit salvator meus*, id est defensor et propugnator quasi diceret delante de él hemos de disputar y él ha de ser mi valedor.

Non enim veniet in conspectu eius omnis hypocrita quasi diceret neque enim ficto et veteratorio ingenio ad eum accedam, vel aliter quasi diceret neque enim vestris dolis aut fraudibus apud eum locus erit. Vide Stumicam et Eugubum de ly arguam et de sequenti aenigmata.

8. *Duo tantum ne facias mihi et tunc* etc vide supra c.9 fine et nota duabus in rebus maxime probatam fuisse Jobi patientiam, prima quod non solum expertus sit daemonem pugnare contra eum sed etiam Deum, dum relictus est in infirmitate propria ut eius virtus magis profiteretur. Altera quod terroribus inferni atque peccati agitatus est atque vexatus. His duabus vehementissimis plagis sublatis cuiusvis manum contra se pugnare non recusabat Jobus neque cum ipso Deo disputare, et ita ait tantum oro ne facias haec duo mihi et *tunc voca et ego* etc.

9. *Scribis contra me amaritudines* etc, id est destinas, defines como el juez que escribe la sentencia. Unde scribere amaritudinem contra aliquem es sententiarle amargura y tormento, ita Chrysostomus in Catena⁶⁸, qui ait duci traslationem a regibus sententiam scripto mandantibus. Licet aliter explicat Olympiodorus⁶⁹.

Et consumere me vis peccatis etc. Polycronius videtur explicare quasi Jobus non ex sua sententia hoc dicat sed ex amicorum opinione, quasi diceret adeo me consummis ut adulescentis culpa videantur in me incumbere quemadmodum amici mei arbitrantur, in quo recusat Polycronius fateri Jobum in se culpam agnoscere, fortasse quia se defendat alibi, sed iam supra probavimus aptissime cohaerere ut modo se accuset et modo excuset sanctus Job et in praesenti perspicuum est Jobum non agere quid suspicentur amici sed potius quid ipsemet timeat. Et ita Olympiodorus ait Jobum sic se afinem culpa agnoscere et sontem ostendere et aetati cupere veniam impetrare, sed notat obiter Olympiodorus quam fuerit maturior aetas Jobi absolutione virtutis corroborata ut in media scrupulorum tempestate presentis vitae maculae non occurrant animo sed solum adolescentiae, pueritiae quam peccata extimesceret.

10. *Posuisti in nervo* etc. omnes fere interpretes hic compedes intelligunt aut eiusmodi lignum seu impedimentum quod hispanice dicitur cepo et facit versio 70⁷⁰ *posuisti pedem meum in [f.24v] impedimento*, et versio Aquilae ligno contrixiste pedem etc. Sed obiicies non cohaerere quod sequitur, nempe constricti ligno pedes meos et considerasti observasti omnes semitas meas etc, postquam enim quis est in vincula coniectus nullis deinceps incedit semitis neque ulla sui post se vestigia relinquit. Respondeo methaphora

⁶⁸ J. CHYSOSTOMUS in Catena. PG 64,614.

⁶⁹ OLYMPIODORUS, in *beatum Job*, 13,26. PG 93,163.

⁷⁰ ORIGENES, EXAPLORUM. *Job* c..13,27. PG 16,574.

videtur desumi ab iis qui compedes injiciunt sontibus in carcerem detrusis et postea cunctas vitae rationes examinant échanlos una por una en la cárcel y luego les hacen el proceso y les examinan la vida y les cuentan los pasos y se valen de los indicios. Externae ergo calamitates Jobi considerantur ab ipso tanquam carcer et compedes quibus detinetur ut effugere non valeat interior tempestas et conscientiae aestus considerantis ut examinatio testium et indagatio vitae magno cum rigore suscepta. Et pro hoc eodem sensu facit quae dixerat Jobus capite 10[6] nempe Deum *scrutari* iniquitatem et *peccata* illius et instaurare testes. Si quis vero aliter velit explicare forsam poterit apte hac ratione: *posuisti in nervo* etc hasme dejado tan flaco que estoy en solos los huesos y nervios o que tengo los pies como unas cuerdas o hilos y tras esto, en resbalando tantico me examinas luego si puse bien o mal el pie, quasi diceret condemnandum esse eum qui ad eam debilitatem animi redactus sit ut vix consistere possit et ita non esse mirandum quod in aliquam impatientiam aut inmodestam quaerelam elabatur in quo Job interiores scrupulos tanquam Dei accusationes excipit. Et conqueritur apud patrem tum quod in sua infirmitate relinquatur, tum quod in tanta debilitate constitutus de quovis lapsu aut trepidatione tam severe examinetur et crucietur.

11. *Qui quasi putredo* etc. Dixerat supra *consummere me vis peccatis adolescentiae meae*, vide ergo quam apte concludat quasi diceret, certe dum me consummis nihil magnum praestas, id enim consummis quod brevi per se consumeretur, quamvis nullus alius id destruere conaretur que putredo como una cosa podrida que ella se va pudriendo más y más hasta que se acabe. *Et quasi vestimentum quod* etc que se come de polilla, que sin hacerle más guerra que dejarlo él mismo se gasta y consume.

Caput 14

1. *Homo natus de muliere* etc Satis patet hanc orationem eo tendere ut appareat indignum videri Deum optimum cum adeo infirma et instabili et misera creatura contendere, nempe cum homine, et quamvis de homine in communi videtur loqui Jobus de se ipso tamen peculiariter intelligi vult. Vide c.7, n.1, nam quod in praesenti non loquatur de universis hominibus, ut putabit Stumica, satis indicant illa verba *recede paulum ab eo ut quiescat*, in quo petit a Deo ut respirare concedat et non sine intermissione flagellet, quae petitio supponit eum pro quo postulat gravissime angui et vix posse prae angustia spiritum ducere. Ergo de se loquitur et non de omnibus.

[f.25] 2. *Donec optata veniat sicut* etc, difficilis est huius connexio cum praecedenti et subsequentes interpretationes quas affert Stumica de die praemii vel de die fatali mortis non placent quia non faciunt ut sensus cohaereat. Dixerat Jobus non posse hominem effugere quin cito moriatur iuxta

Dei praescriptionem, et ita aequum videri ut interim respirare sinatur. Postea dicit non ita hominem de medio tolli ut iterum renasci possit per nativitatem, ista duo sunt enuntiata inter quae mediant verba supra posita scilicet *donec optata, sicut mercenarii* etc et non cohaeret praemii mentio ad impetrandam laboris intermissionem, cum potius valeat ad libenter sine intermissione suscipiendum laborem praeter quam quod non sperabat Jobus premium statim post mortem. Nec potest esse sensus optare Jobum adeo ut eum iam desinat mori et in sepulcro quiescere donec veniat dies resurrectionis quia hoc non esset paulum quiescere sed multum diuque et valde extra rem mentionem faceret de praestituto unicuique die mortis ad postulandam mortis anticipationem. Quod vero non loquatur de die mortis tanquam cum taedeat laboriosae vitae, et mortem optet, patet clare ex contextu quia si postulet ut Deus interim eum alleviari permittat alleviato non erit optata dies mortis et si mortem optatam sibi esse diceret non adjungeret neque urgeret difficultatem remeandi ab inferis ad superos.

Batablus aliter exponit, sic habet eius versio: si dies hominis exacte praefiniti sunt et numerus mensium ipsius penes te est eique terminos praefixisti quos praeterire non potest, absiste ab illo ut desinat sive occidat eum iam grato animo accipiet diem fatalem tanquam mercenarius. *Ligno enim spem* reliqua est etc vel aliter ut habet in annotationibus absiste ab illo ut degat vitam donec exoptet tanquam mercenarius diem suum, quasi diceret noli eum affligere cum vita hominis sit brevissima donec perveniat ad senium, quo tempore taedebit illum vivere.

Sed contra hanc explicationem est quod praescripta mortis dies non semper mors est in senecta, eo scilicet tempore quo iam taedeat vitae et ita inepte adduceret Jobus unicuique praefinitum esse mortis tempus ut inde colligeret aequum esse ut relinquatur vivere quousque ipse mortem appetat.

3. His ergo rejectis forsam locus elucidabitur si praejiciamus particulam *donec* non semper accipi proprie et in rigore sed aliquando solam designare consequutionem effectus, ut in 1Reg 2[5] *repleti prius pro panibus se locaverunt et famelici saturati sunt donec sterilis peperit plurimos et quae multos habebat filios infirmaret*. Pendere videtur ly *donec* ex versu superiori, ipsi praeparantur cogitationes id est que sus trazas le salen buenas y firmes a Dios, donec sterilis peperit etc, hasta venir a parir la estéril. Vide Jesen Ps 70[18] *usque in senectam et senium non derelinquas me donec annuntiem brachium tuum omni generationi quae ventura est* et Ps 93[13] *ut mitiges ei a diebus malis donec fodiat peccatori fovea, id est quandiu dominari permittitur peccator et quamdiu impletur mensura peccatorum eius* et Ps 190 *donec ponam* etc [f.25v] Hoc supposito bene videtur cohaerere ut Jobus aliquam dolorum intermissionem postulet ita ut sicut mercenarii habent aliquem diem

in hebdomada in quo vires reficiunt et a labore cessant et numquam illis denegatur ille optatus dies, sic etiam huiusmodi dies adveniat sive concedatur Jobo in quo liceat tantillum respirare. Y para mover a lástima para que se le conceda lo que pide representa que no es mucho que se le conceda esto a quien infaliblemente ha de morir presto y después no ha de poder volver al mundo hasta el día del juicio.

Hunc sensum procul dubio sequuntur graeci, quorum textus habet recede ergo ab eo ut quiescat et vitam quandam habeat sicut mercenarius, ubi Nice-tas: complebere Domine misericordia adeo brevem vitam atque eam supplicio subducito ut tanquam mercenarius qui post multos labores paululum nactus est laxamenti conquiescat. Et Chrysostomus: recede a me ut quiescam et complaceat mihi vita mea sicut mercenario, id est jube me laboribus aerumnisque confectum conquiescere. Et Policronius: intermitte aliquando meum supplicium ut saltem mercenarii relaxationem assequar quia mali mei calamitas inducias nullas facit.

4. *Quis mihi tribuat etc furor tuus.* Stumica exponit quasi diceret utinam in sepulcro vita functus iacerem ut hanc iram tuam evaderem quae me male vexat. Ita ille intelligens per infernum sepulcrum. Et similiter exponeret licet per infernum intelligeret subterraneum animarum habitaculum (de quo vide Guevara Habacuc 2, diceret enim Stumica sensum esse utinam iam ad tartarum descenderem ut presentes evaderem cruciatus. Verum considerato contextu aptius est ut postquam Jobus meminit potentiae mortis cuius carceres nemo posit effringere, ut ad vivos redeat subeat etiam mentem recordatio eorum suppliciorum quae illic in mortis carceribus impiorum animae patiuntur, et qui hactenus dicebat ego post diem fatalem non me potero ab inferni catenis eripere, nunc dicat et quis mihi tribuat ut in inferno impiorum poenas evadam et abscondar a furore Domini, et aliquo tandem tempore mei recordetur et me resurgere iubeat. Iste videtur planus sensus in quo nobis non facessit ly *donec*, ut patet ex praecedenti annotatione.

5. *Putasne mortuus homo rursus etc.* Hoc in nostra explicatione aptissime cohaeret, qui enim optabat constitui sibi tempus in quo eum Deus iuberet ad vitam resurgere cum paulo ante dixisset homo cum dormierit non resurget donec atteratur coelum, apte interrogat putasne mortuus homo rursus vivet, quasi diceret pues tengo de resucitar, et Respondet cunctis diebus nunc milito etc. Si ergo con esa esperanza me sustento en esta batalla esperando que algún día después de muerto me ha de llamar Dios, y a su voz he de responder y aun que me tiene contados los plazos, me ha de perdonar mis pecados y aunque muestra que se acuerda muy bien de mis delitos, no es para aborrecerme sino para curarme.